


NAZIONALE
8
32 — C
26
ROMA
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE

IN CATHOLICAS, VEL CANONICAS,

QVAS VOCANT, EPISTOLAS,

BEATORVM APOSTOLORVM,

IACOBI, PETRI, IOANNIS, ET IVDAE,

R. P. M. GREGORII PRIMATICCII

Senensis, Ordinis Prædicatorum,

Ecphrases, vel plenæ, ac dilucidæ Expositiones.

ADIVNGENDAE PRIORIBVS EXPOSITIONIBVS eiusdem, in omnes epistolas D. PAVLI, iampridem in lucem emissis.

Cum Indice copiosissimo.







Ex legato Illustriss: Corsini

SENIS APVD LVCAM BONETTVM,

Typographum Excell. Collegij DD. Iuristarum. 1573.

Cum Priuilegio.

REVERENDISS^MO^ ET ILLVST^MO^

D. FRANCISCO BANDINEO,

PICCOLOMINEO,

SENARVM ARCHIEPISCOPO

DIGNISSIMO.

Magister GREGORIVS Primaticcius Senensis, Ordinis Prædicatorum. S. P. D.



Iquando in eam rapior cogitationem (vigilantißime Antistes) vt, quæ muneris magnitudo in nos Religiosos incumbit, expendam; ad lachrymas vsque prouehor. cum enim perdifficile sit, vt vnusquisque a circunueniētibus animam periculis tutum se se præstet; omnes tamen ad alios custodiendos accedimus. timent ignari artis nauticæ naues agere: non audent, qui medici non sunt, ægrotis adhibere medicinam: tractant (vt inquit ille) fabrilia fabri: ignaros tamen pascendi gregis, vix paucos pudet id onus laboris suscipere. Quòd, si, per Canones, a patribus cōstitutos, liceret absq; iusta censura initiari, & sacra munia obire; videres, quanta impudentia, cōplures accurrerent. Ego quidem, iam et senio, & sacrarū literarū studiis confectus, non erubesco palàm confiteri, perarduū mihi semper visum Religiosorum officium, nunc autem eò magis, quò minus id mihi tenere videor. Quid enim difficilius, quàm ad ista sūma peruenire; vt omnibus exēplo esse poßis? quid laboriosius, quàm ignaros instruere, deuios in semitas reuocare, obstinatos ad bonam frugem traducere, peccatoribus ad pietatē stimulos admouere? quid periculosius, quàm thesauri illius custodem se profiteri, quē CHRI

A religiosorū munere

Quī quisq; norit artē, in hac se exerceat. In irruētes ad sacros ordines.

Curæ pascendi gregis pondus

 STVS

STUS preciosissimo sanguine suo redemit? non potes animarũ ducem, pastorẽ, custodem, medicũ, doctorem præstare, nisi intẽta meditatione, summa cura, multis vigiliis, & grauibus exactis laboribus. Quid autẽ propriè dicemus de Pastoribus ipsis? in sacris literis appellãtur speculatores, custodes, ianitores, & patres. Speculatores, vt, explorãtes inimici technas, apto iudicio propellãt: id quod habemus apud Exech. prophetam 33. Fili hominis speculatorẽ te dedi domui Israel, vt, venient e gladio, insones buccina, vt populus se custodiat. quòd si verò venerit gladius, & tulerit de eis animã; sanguinẽ eius de manu speculatoris requirã. Custodes dicuntur, ne quid omittant, vt sartam tectam domũ conseruẽt: vt, qui domi habitant, ab insidiis tuti reddantur. vnde 3. Regum. 1. præcipitur, Custodi virum iustũ, qui, si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius. item Ianitores, quibus regni cœlestis claues traditæ sunt, ad prudenter claudendum, vel aperiendum, nè impiis mysteria pateãt, nè ve bonis occultentur, CHRISTI documento, qui vendentes, & ementes è templo, dignos colligendo, repellẽdo peruersos, eiecit. quid insuper? decet illos, et patres esse, & pastores. Patres, diligendo, ac subleuando gregem; Pastores, vt rectè præsint, non obdormiant; vt baculum prudentiæ, & iustitiæ, irruentibus lupis, fortiter sumant. ad hoc, ipse Dominus, cum Petrum rogasset, Diligis me plus his? respondenti, Tu scis, quòd amo te; ter dixit Pasce oues meas: quod intelligendũ, doctrina, exemplo, & necessario subsidio. quem enim familiæ suæ præficit, oportet esse fidelem, non quæstus, aut ambitionis ductu, sed animas lucrandi gratia. Unde, quot, & quanta huc tẽdunt? inquit Gregorius, quòd episcopus eligitur, vt sit intercessor ad Dominũ pro populo. sed, vt intercedas, quomodo accedas? non labe vlla corruptus. quòd habere curam orphanorũ, et viduarũ debet, ad exemplũ CHRISTI. maxima igitur pietas necessaria. quòd eligendus in Episcopum, debet esse gratus Deo, & hominibus: at hoc

De Episcoporum officio.

In sacris literis appelantur speculatores.

Custodes.

Ianitores.

Patres.
Pastores.

In Regist.

at hoc ex inculpabili vita proficisci credendum est. itē dicit, Episcopi officium esse, in Ecclesia vnitatem reducere, qui a fidei veritate dissentiunt. & hîc absoluta doctrina desideratur. quid plura? inquit August. ad psalmum 45. Episcopi in locum apostolorum succeßere. quod, qui Episcopus considerabit, ociosius vtiq; de officio nō erit. hîc enim plurima subsunt, de quibus melius tacere iudico, quàm parū dicere. idē tamen Augustinus, ep. 124. hæc habet, Episcopi munus vt, hac vita, nihil difficilius, ita apud Deū nihil beatius. vnde quid tædeat, aut pigeat? honesti labores, dum ferūtur, nō nimis sentiūtur, dulces autē sunt, quū ijs functi sumus. quippe eos gloria sequitur. nullus labor durus (inquit Hieronymus) nullū tēpus longū videri debet, quo æternitatis gloria acquiritur. nolo enim putes, hac de gloria me loqui, fluxa, & inani, quæ multos mortaliū præcipites agit. His, opinor, cōsideratis, optime Pater, nullis diffatigaris laboribus, vt Senensis Diœcesis populū, tibi comißū, custodias, & ritè dirigas. quod, vt sēper cumulatè præstitisti, tū mirificè, quū degebat in viuis GERMANICVS ille BANDINEVS, nepos tuus, in cuius viridi ætate tua iam annis ingrauescens cōquiescere cœperat. eum ipsū, maximo bonorū luctu, nobis acerba, et immatura mors abstulit; sed nauis clauū fortis ipse nauta non deseris; imò magis, ac magis, in dies, quæ ad animarū salutē pertinent, omnia suggeris. vnde, sub te iudice, fouētur boni, puniūtur mali, additur modestis animus: ab omnibus odor quidam sanctitatis exhibetur. clericorum florent ingenia, & vigent studia. sacri enim libri a peritißimis, & probatißimis quibusq; doctoribus, & grauibus viris explanantur: verbum Dei nullibi non prædicatur: pueri fidei rudimenta imbuuntur: puberes edocentur: sacramenta ritè administrantur: conciliorum decreta mirum, quàm obseruentur: qui ad sacros ordines promouendi, non sine graui censura admittuntur. nunquam (dicere ausim) res Christiana, Senis, melius habuit.

Commendantur honesti labores.

Epist.

Archiepiscopi senarum laus.

Præmia laborum.

Ex quo nihil mirum, si nostri iuuenes canere de te nõ verentur.

Dum iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit,
Dúmq; thymo pascentur apes, dum rore cicadæ;
Semper honos, nomémq; tuum, laudésq; manebunt.

Sed maiora (ne dubita) tibi debentur. mundi enim gloria (ne nobis imponamus ipsis) citò peritura. si autẽ, vt cœpisti, perges; fidelis eris, & prudens; terrena nõ metues; offeres incensum iustitiæ; superlucraberis ad talenta; in diuina lege meditaberis: Dubio procul migrabis ad illam cœlestem patriam; reddet ibi Deus mercedem laborũ; fulgebis cũ iustis: & regnabit Dominus tuus in perpetuũ. Agê igitur, ne verere. breuis restat via. non longê abes ab illa gloria; modò eã speres, & ad eam tota mẽte incũbas. mentiri non credo signa, quæ vtplurimũ certa esse solent. & quænam tandem? cunctis nota sunt, quæ in primis te ornant, vt studium pietatis, cultus veritatis, patientia in aduersis, gratus animus in Deum, benignitas in omnes. Tibi itaq;, ad immortalitatem contendenti, cũ omnes amici, gratulantes, aliquid offerãt; Ego etiam, qui amicorum tuorum, in te amando, & obseruãdo, cedo nemini; hoc munusculũ affero, quod, quasi spicarum manipulos, metentium vestigia secutus, hinc inde collegi; vt (puellam Ruth imitatus) clementis patris familiâs conciliarem gratiam, tuam scilicet, ac tui similium, quos ego reuereor: nullam, vel minimã inuentionis laudem mihi vendicaturus. quicquid enim ego composui, non eô composui, vt populi auram captarẽ; sed, vt fratribus, qui sub CHRISTO fideliter militant, aliquid opis afferrem. Opera mag. Gregorij. *Cum enim præcipuam doctrinæ Christianæ partem nouum testamentũ complectatur; primò euangelium vnũ ê quatuor contexui, secutus Hammonium Alexandrinum: deinde Paulinas Epistolas familiari expositione sum prosecutus: postremò epistolas Canonicas pressiori stylo explicaui. quoniam verò dignissima in primis censetur dissertatio de diuina præscientia; de ea quoq;*

Arborem

Arborem confeci, quibusdam additis cõclusionibus, vbi totum illud argumentum redditur planißimum. postmodum, quòd sacri omnes canones diuina scriptura fulciuntur; magnum, qualecunq; , opus excogitaui, quo opere facillimum esse poßit, in sacris versari scriptis, cum maximo fructu. cum enim quadripartitum sit; in prima parte habetur concordia, & harmonia titulorum libri decretalium, cum sexto, Clementinis, extrauagantibus Ioannis xxij. & extrauagantibus communibus. & quia de ijsdem rebus ferè canonum periti, ac Theologi tractant; in secunda parte est elenchus totius iuris canonici alphabeticus; in tertia verò super omnes libros Magistri sententiarũ, in quarta est index Authoritatum sacræ Bibliæ, vbi, quæcunq; faciunt ad robur canonum, conferuntur: ita vt miro modo exposita sint omnia, quæ ad vniuersum sacrorum librorum studium pertineant. Ex hisce quinque operibus, secundum, tertium, & primam quinti partem, eo modo, quo potui, dedi in lucem; reliqua, non mearum est viriũ, vt extrudam, indices præsertim, qui fascis est magnus, & magnam exigit impensam. Deo aspirante, fortasse non delitescent in tenebris, me vel viuo, vel mortuo. quanquam enim, vt, me viuo, spes quidem pertenuis superest; adhuc tamen iuuat sperare. Si hæc tibi exposui; vel cogita, me, more senum, paulisper gloriari, licet enim senibus; vel puta, me affectum meum in sinũ tuum effundere. Vtriq; nostrum parua pars itineris restat. Si ego iunior tibi iuniori, quatenus potui, & licuit, inseruiui; tu mihi liberali manu affuisti; multò gratius futurum puta, si seniori, obsequi cupienti, senior non deeris. omnes enim cœpta ad finem laudandum perducere cupimus. D.O.M. bonorũ omnium fons, & origo vota tua secundet; vt nihil tibi desit ad felicitatem. Commendatio sui. Horat. & Cic.

Vale, ac vetulum tuum ama. Senis, a reparata per CHRISTVM salute. 1573. idibus Ianuar.

HORATIUS LOMBARDELLUS SENEN.
Candidis literarum sacrarum cultoribus S. P. D.



N vobis, amici Lectores, Magistri GREGORII, viri præstãtissimi, & de Christiana Repub. benemeriti, disertissimos commentarios, ad canonicas, vt vocãt, epistolas, Qui non solùm vobis vtiles, ad intelligendum, sed ad instruendũ, & disserendũm, magno esse possint adiumento; quippe cum his nihil doctius, iuxta ac facilius, in eo genere, dari queat. Ipsum se se opus probabit. Ego id vnum profiteor, me plurimũ subiisse laboris (quippe codice, ex κακογραφία, facessẽte negociũ) quò emendatissimi prodirẽt; vt quàm maximè seruirem vestris cõmodis, quibus placere desidero. Si qua verò minutiora conatus nostros effugisse cognoueritis; ea vos, vt improba, castigatote; bonis interim fruẽtes, vt animos nobis addatis, dum paramus alia, quæ vsui vobis futura censemus. Bene valete.

Operis cõmendatio.

Operis correctio.

HYERONYMUS IN CATALOGO SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM.



IACOBVS, qui appellatur frater Domini, cognomento Iustus, vt non nulli existimant, Ioseph, ex alia vxore, vt autem mihi videtur, Mariæ sororis matris Domini, cuius Ioannes in libro suo meminit, filius: post passionem Domini, statim ab apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus, vnam tantum scripsit epistolam, quæ de septem Catholicis est, quæ, & ipsa ab alio quodam sub nomine eius edita asseritur: licet paulatim, tempore procedente, obtinuerit authoritatem. Hegesippus vicinus apostolicorum temporum, in quinto commentariorum libro, de Iacobo narrans, ait, Suscepit ecclesiam Hierosolimæ, post apostolos, frater Domini Iacobus, cognomento Iustus. Multi siquidem Iacobi vocabantur. Hic de vtero matris, sanctus fuit, vinum, & siceram non bibit, carnem nullam comedit. nunquàm attonsus est, nec vnctus vnguento, nec vsus balneo, huic soli licitum erat ingredi sancta sanctorum: siquidem vestibus laneis nõ vtebatur, sed lineis, solusq́ ingrediebatur templum, & fixis genibus, pro populo deprecabatur, intantum, vt camelorum duriciem traxisse eius genua crederentur. Dicit, & alia multa, quæ enumerare longum est. sed & Iosephus in vigesimo libro antiquitatum, refert, & Clemens in.vij. Hypotyposeon, mortuo Festo, qui Iudeã regebat, missum à Nerone esse successorem eius Albinum, qui cum nec dum ad prouinciam peruenisset, Ananus, inquit pontifex Adoloscens Anani filius, de genere sacerdotali, accepta occasione ἀναρχίας concilium congregauit, & compellens publicè Iacobum, vt CHRISTVM Dei filiũ denegaret, contradicentem lapidari, iussit, qui, cum præcipitatus de pinna templi, confractis cruribus, adhuc semiuiuus tendens ad

cœlum manus, diceret, Domine ignosce eis, quid enim faciant, ne sciunt, fullonis fuste, quo rudia vestimenta extorqueri solent, in cerebro percussus, interijt. Tradit item Iosephus, tantæ eum sanctitatis fuisse, et celebritatis in populo, vt propter eius necem, creditum sit subuersam Hyerosolymam. Hic est, de quo Paulus Apostolus scribit ad Galatas, Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini; & Apostolorum super hoc crebrius acta tenstantur. Euangelium quoq;, quod appellatur secũdum Hebræos, et à me nuper in græcum, latinumq; sermonem translatum est, quo, & Origenes sæpe vtitur, post resurrectionem saluatoris, refert, Dominus autem, cum dedisset sindonem seruo sacerdotis, iuit ad Iacobum, & apparuit ei. Iurauerat enim Iacobus, se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem à mortuis. Rursusq; post paululum, Afferte, ait Dominus, mensam, & panem, statimq; additur, Tulit panem, benedixit, & fregit, & dedit Iacobo Iusto, & dixit ei, Frater mi, comede panem tuũ, quia resurrexit filius hominis à dormientibus. Triginta itaque annos Hierosolymis rexit ecclesiam, idest vsque ad septimum Neronis annum, & iuxta templum, vbi & præcipitatus fuerat, sepultus est. Titulum vsq; ad obsidionem Titi, & vltimam Hadriani notissimum habuit. Quidam è nostris in monte Oliueti eum putauerunt conditum, sed falsa eorum opinio est.



R. P. MAGISTRI GREGORII PRIMATICCII SENENSIS, ORDINIS PRAEDICATORVM.

In epistolam beati Iacobi Apostoli Commentarius.

EPISTOLAE ARGVMENTVM.

IAcobus Apostolus sanctum instruit clerum, & cunctum populũ Christianum de cultura cœlestium præceptorum, & regula catholicæ obseruantiæ, & de inuictæ patientiæ maiestate, & de reuelatione plurimorũ, & de mendacio magistrorum.

EPISTOLAE. CAPVT. I.

Textus. Caput. I. Particula prima

IACOBVS DEI, & domini nostri IESV CHRISTI seruus, duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem. Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes quòd probatio fidei vestræ, patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habeat; vt sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes. Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à DEO, qui dat omnibus simpliciter, & non improperat, & dabitur ei: postulet autem in fide nihil hæsitans. QVI enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento mouetur, & circumfertur. non enim existimet homo ille, quòd accipiet aliquid à domino. VIR duplex animo inconstans est in omnibus vijs suis. Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua: diues autem in humiliatione sui: quoniam sicut flos fœni transibit. exortus est enim sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor aspectus eius deperijt; ita & diues in itineribus suis marcescet.

EXPOSITIO.

Tria seruanda à omni epistola. Salutatio. Tractatus. Conclusio.

IACOBVS DEI, & domini nostri Iesu Christi seruus.] Scito primò, quòd beatus Iacobus obseruat, scribēdo & ponit illa tria solita poni in qua libet epistola. primo poni debet salutatio. secundo ponitur tractatus, siue Narratio. tertio loco ponitur narrationis Conclusio, siue Epilogus, & sic beatus Iacobus proponit Salutationem; secundo ponit Narrationem ibi, omne gaudium; tertio ponit ipsius Conclusionis, & Narrationis terminationem, circa medium v. capitis ibi, Patientes igitur estote ad omnes. Et primo, circa salutationem, nota, tria seruanda. in omni salutatione, primo debet poni ipsius mittentis authoritas, & sanctitas. secundo debet poni nomē & dignitas illius, cuius nomine mittitur salutatio. tertio debet poni recipiē tis salutationem indigentia. in hac ergo prima parte, omnia per ordinem facit beatus Iacobus. & primo ponit salutationem, in qua describit personā, authoritatem, & sanctitatem mittentis, quia missa fuit à beato Iacobo. ecce nomen, & in eo, quòd Iacobus dicitur supplantans, vel supplantator, notatur eius sanctitas, quòd in eo fuit maxima sanctitas vitæ in suppeditatione omnium vitiorum, quia, secundùm glossam, vinum, & siceram non bibit, carnes nunquā comedit; nunquam tonsus crine, nec vnctus oleo, nec vsus balneo. ipse enim ex vtero matris suæ sanctificatus fuit, & sibi solicitū fuit ingredi sancta sanctorum, & in eo quod apostolus, notatur authoritas illius, quāuis non expresserit se apostolum propter humilitatem: secūdò notatur dignitas, & potestas illius, cuius nomine fuit missa; quia in nomini domini nostri IESV CHRISTI, cuius erat apostolus, & seruus. tertio, ex parte recipientium salutationem, & epistolam, notatur indigentia, & opportunitas, quia missa fuit xii. tribubus, quæ erant in dispersione, & maxima tribulatione, propter fidem nominis IESV CHRISTI. nam in Actis Apostolorum legimus, quòd, in die, qua mortuus est beatus Stephanus; facta est persecutio magna aduersus ecclesiam, quæ erat Hyerosolimis, & dispersi sunt per regiones omnes, credentes. Talibus ergo dispersis, & in tribulationibus, & angustiis positis scribit, & maximè illis erat necessaria salutatio, & præcipuè a beato Iacobo, qui erat eorum episcopus, & pastor. formetur ergo sic ratio pro salutationis recipiēda gaudio. Illa salutatio est cum gaudio recipienda, quæ ex parte mittentis habet veritatem, & sanctitatem, & ex parte nominis, in quo mittitur, habet dignitatem, & potestatem: ex parte verò recipientis habet indigentiam, & opportunitatem. sed modò hęc salutatio beati Iacobi habet ista; ergo debet cum gaudio suscipi. quod patet, quia ex parte mittentis, qui est ipse Iacobus habet sanctitatem, ex parte nominis, in quo mittitur, habet dignitatem, & potestatē; quia in nomine IESV CHRISTI mittebatur; & ex parte recipientium, qui erant illæ tribus dispersæ, & angustiatæ,

Tria seruanda in salutat.

Primum personæ authoritas, & dignitas.

Secundum dignitas, & potestas mittentis.

Tertium indigentia recipientium.

angustiatæ, habet opportunitatem, & necessitatem. dicit ergo litera Iacobus nomine, seruus conditione, seruitute amoris, non timoris. seruus, dico Dei, propter excellentiam dignitatis, & maiestatis: Domini propter potestatem: nostri propter immensam charitatem: IESV CHRISTI propter regalem dignitatem, ac sacerdotalem: duodecim tribubus, non omnibus, sed aliquibus. illis scilicet, qui sunt in dispersione propter fidem CHRISTI, scilicet scribit salutem, videlicet æternã. deinde incipit Narratio, Cum dicit, Omne gaudium existimate fratres mei, cũ in tentationes varias incideritis]. & nota, quòd illis scribit, qui erant in dispersione, & in tribulatione, propter fidẽ CHRISTI, quos hortatur vt bonus pastor, ne deficiant in tantis tribulationibus, & ponit per ordinem quinque, quæ faciunt tribulationes faciliter substinere. primum est delectari & gaudere in illis, quia gaudium remittit, & mitigat dolorem, & tristitiam tribulationum. secundum est temporalium contemptus. tertium mundanæ sapientię abiectio. quartum est pacis, & concordiæ seminatio. quintum est malorum, & diuitum pœnarum repromissio. volens ergo Iacobus apostolus illos dispersos ad delectabilem passionum tolerantiam hortari; proponit in principio ista quinque: & cum in duplici genere sint mundi tribulationes: nam aliquę sunt de pœnarũ corporalium supportatione, vt fames, sitis, caliditas, frigiditas; aliquæ verò de rerum temporalium amissione. primo Apostolus hortatur ad gaudium, & patientiam in pœnarum corporalium supportatione, eo quòd in eis ipsæ tribulationes patientiam operantur. & inducit talem rationem, illi cum gaudio debent tribulationes, & tentationes substinere, quãdo tribulatio, & tentatio illis cedit in bonũ; sed modò tribulatio illis dispersis cedit in bonum: ergo debẽt cum gaudio illam, vel illas substinere. & verè tribulationes illis cedunt in bonum, quia in illis operantur perfectam patientiam, & hoc, quia pro CHRISTI nomine patiuntur. ideo dicit, o fratres mei, scilicet eiusdem patris cœlestis, ac eiusdem hæreditatis participes, qui, supple, estis positi in dispersione, & afflicti pro CHRISTI nomine. omne gaudium, idest perfectum gaudiũ, existimate vobis cum in tentationes varias incideritis] idest in diuersas tribulationes. tribulatio dicitur tentatio, quia tentat, idest experimẽtum sumit de nobis, an simus perfecti, quia sicut aurum igne, sic homo tribulatione probatur. quasi dicat, non putetis incassum, & sine fructu, vos supple, ex delicijs, & diuitijs deuenisse ad paupertatem, & miseriam. gaudium ergo est non de ipsa tribulatione, secundum se, sed de patientia, quæ tribulationes vincit, & superat. deinde, cum dicit scientes quòd probatio fidei vestræ,] quasi dicat, benedixi, quòd debetis gaudere in tribulationibus, & cum varias tribulationes substinueritis, scientes quòd probatio fidei vestræ, quam, supple, habetis, scilicet, intelligendo, & assentiendo, quòd

Narratio.

Quinque faciunt substinere patienter tribulationes.

Tribulationes in duplici genere.

In tribulationibus est gaudendum.

Iusto cur tribulatio eueniat.

tribulationes patientiam operantur. in genere causę efficientis: sed nota, quòd aliquando tribulatio euenit iusto, vt iustior fiat, vt in beato Iob. aliquando euenit iusto, vt in iustitia permaneat, vt vexatio in Paulo. aliquando euenit propter correctionem. vt in Maria, sorore Moisi, quę percussa est lepra. Num. xii. aliquando propter diuinę gloriæ manifestationem, vt in cęco nato. aliquando propter futuræ pœnæ inuitationem, & inchoationem, vt in Herode, & Pharaone. & verè probatio fidei vestræ patientiam operatur, quia patientia opus perfectum habet, & hoc ideo, vt sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes, quasi dicat, quòd ideo probatio facit vos perfectè operari; quia probatio, & tolerantia passionum virtutem patientiæ operantur in vobis, & hoc, vt sitis perfecti in fidei tentatione, & integri in spei repromissione, & in nullo deficientes in charitatis dilectione. vel dic patientia opus perfectum habet, quia non solùm excludit iniustam vindictam, quam etiam excludit iustitia, nec solum excludit odium, quod facit charitas, nec solùm iram, quod & mansuetudo facit; sed etiam excludit tristitiã inordinatam, quæ est radix omnium prædictorum malorum, scilicet iniustæ vindictæ, odii, irę, tristitiæ inordinatæ. pręminet enim multùm his virtutibus ipsa patiẽtia, & ex hoc opus perfectum habet inter has virtutes. sunt autem opera patientiæ, prima hominis probatio, quia patiẽtia operatur probationem. Rom. ix. secunda gaudii, & lætitię expectatio. post tenebras, spero lucem. tertia iræ, & rancoris mitigatio. vir patiens mitigat iras. Prouerb. v. quarta propriæ voluntatis subiugatio. in patientia vestra possidebitis animas vestras. quinta est virtutum gubernatio. qui patiens est multa gubernat. sexta est vitæ æternæ promissio, & primò patientia nobis necessaria est, vt, voluntatem DEI facientes, magnam reportemus remunerationẽ æternæ vitæ. ideo bene dicit patiẽtia opus perfectum habet. deinde ponit, quòd, ad cognoscendas tribulationes, quę operantur patientiam, necessaria est postulatio sapientiæ à DEO. cum dicit. Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus. formetur sic ratio, Quicunque ignorat, quòd Deus permittat tribulationes, & tentationes euenire nobis, iustis, ac fidelibus suis; postulet à Deo sapientiam, vt id cognoscere possit, vt scilicet Deus aperiat intellectum ad intelligendum: sed vos, dispersi, ignoratis, qua pietate pater vester cœlestis corrigat vos filios: debetis ergo ab eo postulare sapientiam, vt hoc intelligere possitis. ideo dicit, Si quis vestrum ex dispersis indiget sapientia, quæ dicitur diuinorum arcanorum cognitio; vt scilicet cognoscat hoc, quòd tribulationes, quas patitur, has patiatur ꝓ CHRISTI nomine: postulet hanc à Deo, vbi notatur, quòd quatuor sunt necessaria in omni nostra petitione; & primò Nostra indigentia, quam postulare debemus: à Deo inquam postulet, vbi notatur confidentia magna petendi à Deo. nam quilibet debet à Deo confidenter postulare, eò quòd est pater, qui

Patientię opera sex.

Sapientia est à Deo petenda, qui dat omnibus sapientiã, & cognitionem.

Quatuor necessaria in debita petitione. Indigentia nostra Confidẽtia in petendo.

qui potens est omnem gratiam abundare facere in nobis deinde debet petere sapientiam a Deo, qui Deus est filius, qui dei virtus est, & Dei patris sapientia. deinde debet petere facundiā, & eloquentiam a Deo, qui est Spiritus Sanctus, quia ipse est ille, qui facit loqui variis linguis. ponitur igitur petendi confidentia in hoc, quod dicit postulet a Deo, qui potest, vt Deus, & vult dare postulata, vt pater. deinde ponitur dantis affluentia, & amplitudo, cum dicit, quòd Deus dat omnibus affluenter, quia ipse Deus pater dat omnibus vniuersaliter sine personarum acceptione ipsam gratiam generalem, & non solùm omnibus dat vniuersaliter, sed & abundanter, & affluenter sine inuidiosa communicatione. demum dat liberaliter sine improperatione. ponitur demum dantis affluentia, cum dicit dat omnibus affluenter, & nō improperat ea, quæ dedit. deinde conditiones petentis ostēdit: primo, quia debet esse firmus in fide. secundo debet esse sine animi, & mentis distractione. tertio debet esse sine diffidentia recipiendi. si quis ergo vestrum indiget sapientia, ecce parentis indigentia: postulet a Deo, ecce petendi confidentia; qui dat omnibus affluenter, & non improperat, ecce dantis affluentia. postulet autem sic, scilicet in fide nihil hæsitans, ecce nūc modi impetrandi congruentia: ex quibus omnibus habetur digna postulatio sapientiæ ad cognoscendas tribulationes, quando sunt pro nomine Iesu, quæ patientiam operantur. deinde, cum dicit, qui autem hæsitat simi lis est fluctui maris]. nunc apostolus ponit incongruæ petitionis dignam reprobationem, & formatur sic ratio. Ille, qui similis est fluctui maris, & qui non est constans, sed est duplex animo, non meretur a Deo aliquid recipere; sed talis est ille homo, qui hęsitat in fide, & qui dubitat in præmiis cœlestibus, vel de Dei prouidentia, cum superuenerint tribulationes: ergo talis homo non meretur a Deo aliquid accipere. continua sic literam. bene dico, quòd nullus debet petere aliquid cum hæsitatione, & dubietate in fide, quia, qui hæsitat similis est fluctui maris, qui a vento mouetur, & circunfertur: sic, qui non firmatur in fide, reliquit statum fidei propter ventum tribulationū superuenientem: nō enim talis homo existimet, se quòd aliquid accipiet a Domino]. cuius causam subdit, quia vir duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis], & verè hęsitantes, & dubitantes in fide non merentur aliquid a Deo accipere, propter petentium instabilitatem, quia sunt paruuli fluctuantes, & circunferuntur omni vento doctrinæ. demum propter petitarum rerum contrarietatem, quia tantum temporalia in se, & propter se petunt insimul, & æternam. vellent enim gaudere in terris, & in cœlo simul, quòd non conuenit hic ventrem, & illic mentem simul implere. vltimo non merentur accipere propter eius, a quo petunt distantiam, & difformitatem: nam tales non possunt diuino proposito conformari.

Eloquentia, & facundia.

Dantis affluentia.

Gratia generalis.

Conditiones petentis. quę Firmitas fidei Mentis constantia, & stabilitas. Confidentia recipiendi.

Qui non mereātur audiri à Deo

Postulantem oportere esse firmum in fide.

Iterum qui à Deo non mereātur audiri.

Tertiò cur non mereantur audiri.

Vir duplex animo tria mala incurrit, quæ.

1. Cordis dolositas.
2. Sermonis duplicitas.
3. Prauitas intentionis in opere.

Probatio patientiæ per diuitiarum amissione.

Vir autem duplex animo tria mala habet scilicet in anima dolositatem, in locutione fallacię duplicitatem, & habet in opere intentionis prauitatem, quia non propter Dominum, sed propter mundi gloriam operatur. hæc tria mala tangit Apostolus, his verbis, cum dicit, vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis]. nam cum dicit vir duplex animo, notatur cordis dolositas, cum dicit inconstans est, notatur locutionis duplicitas, & cum adiungit in omnibus vijs suis, notatur in opere prauitas intentionis. deinde, cum dicit, glorietur autem frater humilis in exaltatione sua: Diues autem in humiliatione sua] hic Apostolus ponit probationem patientiæ de diuitiarum temporalium amissione, & intendit talem rationem, De illis non debet esse tristitia, si amittantur, nec letitia, si habeantur, quæ citò transeunt, sicut fœnum, & flos agri; sed modò tales, & huiusmodi sunt res, & diuitię temporales: ideo, & nos non debemus tristari de talium amissione, nec gloriari de illarum possessione. ideo dicit glorietur frater humilis, pauper, & depressus in his temporalibus] sed glorietur, dico, in exaltatione sua, idest in paupertate sua, quæ est causa suæ exaltationis in cœlo; diues autem, scilicet glorietur, non in diuitijs, sed in humiliatione sua, idest in deperditione suarum diuitiarum deperditarum, quæ debet esse causa humilitatis: Et causam subdit, quare pauper non debet tristari de diuitiis non habitis, neque de habitis debet diues lætari, quoniam sicut flos fœni transibit, & siccabitur, atq; deficiet ex apparentia solis super terram: sic & diuitiæ temporales transibunt, & deficient cum omni gloria sua. ideo dicit exortus est enim sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit in terram, & decor vultus eius deperijt] idest pulchritudo eius defecit: ita, & diues in itineribus suis marcescet] idest deficiet in vijs, & operationibus suis, & in vsu diuitiarũ; quia, cũ dormierit, nil secum sumet. misticè autẽ ortus est sol, idest CHRISTVS sol iustitiæ, & arefecit fœnũ & flos, idest arefieere fecit voluptatẽ carnalẽ, & gloriã temporalẽ in electis suis, qui non in fide hæsitantes, nec duplici corde, sed stabiles sunt.

Textus particula secunda.

Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam CUM probatus fuerit, accipiet coronã vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Nemo, cũ tentatur, dicat, quòd a Deo tẽtetur. DEUS enim tentari non potest malis, ipse autem neminem tentat. UNUSQUISQUE verò tentatur, a concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem. Nolite itaque errare fratres mei dilecti.

Postquàm

Postquàm Apostolus induxit tribulatos, & afflictos pro CHRISTI nomine ad tribulationum delectationem, & tolerantiam, ex eorum patientię probatione; nunc inducit eos ad tribulationes delectabiliter tolerãdas, ex æterni præmij repromisione, & sic formatur ratio. Illi debent cũ gaudio tribulationes tolerare, qui, cum probati fuerint per tribulationes, & inuenti patientes, tunc recipient coronam vitæ, scilicet æternæ. sed modò vos dispersi, & afflicti pro nomine CHRISTI, estis tales, quòd scilicet sufferetis tribulationes pro CHRITI nomine, & probata vestra patientia: ergo recipietis coronam, idest præmium vitæ æternę. cõtinuetur sic litera. supra dictum est, quòd temporalium, & diuitiarum amissiones, non debetis timere propter ipsorum vilitatem, quia diues in itineribus, & operibus suis marcescet, & deficiet, imò debetis in tribulationibus istis gaudere, & tentationibus. quia beatus vir, idest fœlix vir, qui diu suffert tentationem, idest qui suffert, & tolerat tribulationes, & afflictiones, quoniam cum probatus fuerit, scilicet a Deo, & inuentus patiens propter nomen Domini, accipiet coronam æternæ vitæ, quam Deus repromisit, qua promisione Deus est effectus debitor sibi, non nobis, nisi ex promisione, quam vitam repromisit diligentibus se, quos tamen ipse diligẽtes facit. nota, quòd tria commendant humanam vitam, primum Conscientiæ puritas, secundum Animi stabilitas, tertium Patientiæ humilitas: & tria hæc tãgit Apostolus, cum dicit Beatus, vt beatitudo referatur ad puritatem conscientię, Vir referatur ad animi stabilitatem, tolerantia tentationum refertur ad Patiẽtię humilitatem. de tribulationum autem merito, dic, quòd tribulationes, cũ quoddam malum sint, de se non habent, quòd sint meritorię; sed meritoriæ possunt esse non ex se, sed tantùm ex parte patientis illas, si humiliter tolerentur, quæ tunc eius patientia probatur. ideo signanter dicit beatus Iacobus, Beatus vir, qui suffert tentationem, & tribulationes] non dicit simpliciter, & absolute, recipiet coronam, sed cum adiuncto, scilicet cum probatus fuerit, & approbatus patiens, tunc accipiet coronam, & præmiũ. deinde cum dicit Nemo, cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur]. hîc ponitur remotio cuiusdam dubitationis, quia dictum est supra, quòd gaudiũ debet esse nobis de tribulationibus: nunc autem posset quis dicere, & credere, omnes tales tẽtationes, & tribulationes mitti nobis a Deo, quod non est verum, quia dicit glossa, quòd exteriores tẽtationes immittit Deus ad suorum probationem fidelium; interiorem verò, qua concupiscitur furtum, adulterium, homicidium, & similia, non immittit Deus, sed concupiscit homo ex malitia sua, & ponit Apostolus talem rationem. Tentationes sunt malę, & ad malum incitatiuæ: ergo non sunt a Deo, quia Deus tentator malorum non est. ergo a nobis ipsis sunt tentationes. ideo dicit, nemo, cum tentatur, dicat, quòd a Deo tentetur: quia Deus tentator malorum

Inductio ad tolerandas tribulationes, ex promissione præmij.

Tria vitã commendant humanam.
1. Conscientiæ puritas.
2. Animi stabilitas.
3. Patientię humilitas.

Quo modo tribulationes sint meritoriæ.

Dubij cuiusdã diluitio.

lorum non est. ipse enim neminem tentat, idest nullum in tentationẽ inducit, vbi notatur, Duo esse genera tentationũ, quædam exteriores, vt sitis, fames, nuditas, & huiusmodi similia, quarum Deus non solùm est permissor, sed etiam author: nam talia interdum immittit suis fidelibus propter probationem patientiæ ipsorum; quædam sunt tentationes interiores, sicuti sunt cogitationes malæ, quibus concupiuntur Furta, Adulteri, & similia, quas licet deus permittat, non tamen est eorum author, & immissor. quia ergo supra Iacobus Apostolus locutus fuerat de tẽtationibus exterioribus, in quibus dixit debere esse gaudium: ideo hîc de tentationibus interioribus loquitur, & intendit, quòd huiusmodi tentationes interiores nõ sunt a Deo, sed sunt a nostra malitia. & nota, quòd multi nos tentant. nam Deus tentat propter alicuius ignoti manifestationem, non sibi, sed nobis faciendam; sicut quando tentauit Abraham, vt nobis manifestaretur obedientia, & fides illius de immolatione filij tentat homo, vt experimẽtum sumat, aut cognitionem alicuius incogniti. tentat dæmon propter falsam deceptionem, vt fallat, & ad malum inducat. tentat & mundus per suam falsam delectationem, vt nos alliciat. tentat caro per suggestionem, concupiendo aduersus spiritum. ideo dicit vnusquisq; tentatur a concupiscentia sua mala abstractus, & illectus, ac tractus, vel incitatus. deinde cõcupiscentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum autem, cum consumatum fuerit, generat mortem.] hîc Apostolus posuit humanæ tentationis ordinem, & processum. continua ergo sic literam. bene dico, quòd Deus neminem tentat, sed vnusquisq; tentatur a concupiscẽtia sua mala abstractus a bono, & illectus ad malum. deinde, cum dicit cõcupiscentia autem, cum conceperit, idest, cum consenserit delectationi ipse homo tractus, & motus a concupiscentia, tunc parit peccatum, idest perducit talem consensum ad actum peccati, scilicet actualiter consentiendo. peccatum autem, cum consummatum fuerit, idest cum fuerit per ipsum actum reductum ad cõsuetudinem, generat mortem, scilicet ipsius animæ spiritualem. & nota, ne decipiaris, quia videtur prima facie, quòd apostolus velit, quòd peccatum mortale sit tantùm in opere consummato, quia, dicit, illud generat mortẽ. dic, quòd intentio Apostoli non est, quòd concupiscentia, per consensum deliberata, & quantum in se est ad opus deducta per consensum, nõ sit peccatum: quoniam peccatum est, & mortale. sed pro tanto, dicit opus consumatum, idest per consensum, & per actum exteriorem, & ad consuetudinem tractum, magis generare mortẽ, quàm alia peccata, quia in tali peccato nulla insunt signa vitæ spiritualis, & est ibi parua spes de reditu ad gratiam, quantum ex parte nostri; & ideo est grauius peccatum. deinde dicit, Nolite itaq; errare fratres mei dilectissimi.] ponitur motæ iam dubitationis conclusio, cum dicit, nolite errare fratres mei dilectissimi, quasi dicat, vos estis

Genera tentationum. 1. Exteriores. 2. Interiores.

Multi nos tentant. 1. Deus. 2. Homo. 3. Dæmon. 4. Mundus. 5. Caro.

Deus nõ tentat.

Homo tentat se ipsum.

Dubitationis conclusio.

Vos estis fratres mei, non carne, sed fide, & religione, ac eius videlicet patris filij, per redemptionem, & adoptionem, & hæredes eiusdem hereditatis per promissionem. ideo non debetis a me dissentire, credendo, malas cogitationes, & tentationes interiores malas a Deo mitti, sed magis debetis credere, talia in vobis insurgere ex concupiscentia vestra mala, & carnali, quæ militat aduersus spiritum, idest rectam rationem, & spiritualem.

OMNE datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum, apud quem non est transmutatio, aut conuersionis obumbratio. Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt simus initium quoddam creaturæ eius. itaq; fratres mei dilecti, omnis homo velox ad audiẽdum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. IRA enim viri, iustitiã Dei non operatur. Propter quod, abicientes omnem immunditiam, & abundantiã malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras. Textus particula .iii.

Nunc Apostolus vult inducere illos dispersos, & tribulatos ad substinendas, pro CHRISTI nomine, passiones cum gaudio: primò ex supernorum donorum receptione: secundò ex recipientium dona dispositionẽ: tertiò ex remotione impedimentorum impedientium huiusmodi receptionem. & primò sic procedit, Pro illo debetis tribulationes, & tentationes delectabiliter tolerare, a quo recipitis omnia bona, & dona; sed sic est, quòd omnia bona, & dona habetis ab ipso Deo: ergo pro eius nomine debetis delectabiliter ferre tribulationes, quia omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est.] quasi dicat omne datum optimum, quò ad dona naturalia, & omne donum perfectum quò ad dona gratuita, desursum est, idest datur nobis a Deo, qui est vtrorumq; donorum efficiẽs. descendens, idest abundanter a patre luminum, qui illuminat omnes, quos vult, vel illuminat omneis illuminatos, quia omnis illuminatus illuminatur ab illo, apud quem patrem luminum, non est transmutatio, quò ad sui substantiam, nec vicissitudinis, idest varietatis, aut mutationis, siue alternationis obumbratio, scilicet in operando, quasi dicat, quòd vario modo operetur, aut, quòd nunc operetur, & non ante, vel post; sed semper operatur, & eodem modo, quia semper illuminat, dona largiendo, quæ lumina superna sunt, semper illuminantia, & nunquam obumbrantia, siue obscurantia, vt faciunt luminaria coelorũ. deinde, cum dicit voluntariè enim genuit nos] hic ponitur recipientium dicta dona digna dispositio & est ratio talis, Illi sunt dispositi ad recipiendum spiritualia dona, qui sunt rege- Introductio ad substinendum passiones cum gaudio. 1. Ex diuinis donis. 2. Ex dispositione accipientiu. 3. Ex remotione impedimẽtorũ.

 nerati

neratiaqua baptismali, & verbo veritatis euangelij; sed vos dispersi, & afflicti propter nomen CHRISTI estis regenerati,& baptizati,& instructi in euangelica fide: ideo estis maxime dispositi ad recipiendum dona spiritualia. ideo dicit voluntariè, non per coactionē. supple, ipse Deus genuit nos, idest regenerauit nos per aquam baptismalem. genuit, inquàm, nos verbo veritatis Euangelij. & hoc, vt simus initium aliquod creaturæ eius] idest principium omniũ creaturarum spiritualium, & regeneratarum, vel vt simus initium, idest primitiæ. idest inter creaturas simus existimati pretiosi, & grati velut primitię, & quia primitię Deo iam offerebãtur. & ideo genuit, vt offeramur Deo tanquam primitiæ omnium creaturarum credentum. deinde dicit, scitis autem fratres mei, quasi dicat scire debetis fratres, quòd omnia prædicta dona a Deo habetis, quoniam a nobis habemus ad vitia, & peccata habilitatem; sed à Deo habemus, superna gratia illustrari, & ad bonum induci suppremum. Tria nos ad gratiam maximè disponũt, scilicet, supernorum donorum receptio: Diuinæ sapientię illuminatio: liberi arbitrij sanatio a Deo. deinde, cum dicit, Sit autē omnis homo velox ad audiendum.] hîc ponitur remotio impedimentorum sic, Quicunq; volunt esse dispositi ad receptionem donorum supernorum optimorum, & perfectorum, debent omnia impedimenta impedientia remouere: sed vos dispersi, & afflicti propter nomen CHRISTI debetis velle recipere talia dona. ergo debetis esse dispositi & per consequens omnia impedimēta debetis remouere. sic ergo continua literam. Scitis fratres mei charissimi, quòd omnia dona bona, & optima habetis a Deo,ad quorum receptionē,

Tria disponunt ad gratiam.
1. Supernorum donorum acceptio.
2. Diu sapientiæ illuminatio.
3. Lib. arbitrij sanatio.

Dispositio ad recipienda dona diuina per sex.

primò sit omnis homo velox ad audiẽdum, scilicet viam doctrinæ diuinę.
1. secundò tardus verò sit ad loquendum, quia in multiloquio non deest pec
2. catum. tertiò ac etiã sit homo tardus ad iram, cuius causam assignat, quia
3. ira, & turbata mens, & passionibus agitata, Iustitiam Dei non operatur.
quasi dicat non permittit hominem benò,& iustè operari ad honorē Dei.
4. quartò propter quod abijcientes omnem inmunditiã, quasi dicat propter
receptionem supernorum donorum, debetis omnem immunditiam cor-
5. poris & abundantiam malitiæ ipsius animi abijcere. quinto, & in mansue-
6. tudine suscipite insitum verbum, idest in humilitate suscipite. sextò. & cũ magno honore, & tremore insitum verbum, idest verbum fidei, & sacræ scripture, quod est situatum, & seminatum, & insertum in corde vestro, scilicet per meam, & aliorum Apostolorum prædicationem. quod quidem verbum potest saluare animas vestras, imò saluabit si prædictum verbum fidei euangelicæ seruaueritis, corde credendo, & opere compleueritis, operando, quia Beati, qui audiunt, & custodiunt verbum veritatis diuinæ.

ESTOTE autem factores verbi, & non auditores tantũ, fallentes vosmetipsos. Quia SIQVIS auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro, consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo. considerauit enim se, & abijt, & statim oblitus est, qualis fuerit. QVI AVTEM prospexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit sic, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. Si quis autem putat se religiosum esse inter vos, non refrenãs linguam suã, sed seducens cor suum, huius vana est religio. RELIGIO munda, & immaculata apud Deum, & patrem, hæc est, Visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire a mundo.

Textus particula. iiii.

EX quatuor possumus cognoscere Dei verbum esse situm in cordibus nostris, primò ex fructuosa operatione in nobis, secundò ex diuini verbi delectabili auscultatione, tertiò in omnibus, & circa omnia veritatis locutione, quartò sanctæ, & immaculatę vitæ conuersatione. & propterea, in hac parte inducuntur dispersi illi, vt supradictas tribulationes delectabiliter ferant, ex Dei verbi fructuosa operatione, & dicit sic, illi habent verbũ Dei seminatum, & situatum in corde suo, qui non solùm sunt auditores verbi, sed etiam & factores, & operatores; sed vos dispersi debetis habere verbum Dei situatum in corde vestro, vt possitis tribulationes pro eius nomine tolerare. ergo non debetis esse tantùm auditores. dicit ergo, continuando, dixi, quòd debetis cum mansuetudine suscipere insitum verbum. estòte igitur factores, & executores diuini verbi, & non auditores tantùm, quasi dicat, in hoc cognoscam, si vos habeatis verbum Dei seminatum, & radicatum in corde vestro; si non solùm eritis auditores diuini verbi, sed etiam & factores. Et benè dico, quòd debetis esse factores verbi, & non tantùm auditores, secundò fallentes vosmetipsos, idest vosmetipsos decipientes, quod sit, si contingat vos verbum audire, & non operari opera illius verbi, quia, si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparatur viro, consideranti vultum natiuitatis suæ, in speculo, idest totam naturam suam corpoream, quam, nascendo assumpsit cum lineamentis illis, & qualitatibus. talis enim considerauit se in illis qualitatibus corporeis, & abijt, idest cessauit a tali consideratione in speculo recepta; & statim oblitus est qualis fuerit, quasi dicat, non permanet illa imago, nec illa cõsideratio suę imaginis, speculo amoto. deinde cum dicit, Qui autem prospexerit in lege

Verbum Dei cognoscitur situm in cordibus nostris, ex 4.

1. Ex verbi Dei fructuosa operat.



2. Ex delectabili diuini verbi auscultatione.

perfectę libertatis, hîc hortatur ad diuini verbi delectabilem intellectionē, & est talis ratio, Illi debent delectabiliter audire verbum Dei, per cuius intellectionem sunt & fiunt extra legem seruitutis, & fiunt constituti in lege perfectæ libertatis: sed vos dispersi, & afflicti, estis extra legem timoris, & constituti in lege amoris: ergo debetis delectabiliter audire Dei verbum, per cuius intellectionem estis extra legem timoris. ideo dicit, quòd ille, qui est auditor verbi, & non factor, statim obliuiscitur: sicut ille, qui respicit se in speculo statim oblitus est qualis fuerit, sed, qui prospexerit, idest delectabiliter inspexerit in lege euangelica, quæ est lex perfectę libertatis, quia est lex amoris: & permanserit in ea per operis continuationem, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis; hic beatus in facto suo erit, idest propter opera sua beatus erit. talis est sensus. ex diuina promissione, atque acceptatione in facto suo, idest propter opera sua, non vt sua, sed vt dona Dei, & diuina gratia informata, beatus erit, quia opera nostra, vt nostra, & vt a nobis sunt, sunt vt pannus menstruatæ, idest non munda. Deinde cum dicit, si quis putat se religiosum esse; nunc hortatur dispersos ad veritatis locutionem, sic dicendo, Ille, qui est professor religionis Christianæ,

3. Ex veritatis locutione.

cui nulla falsitas subesse potest, debet in omnibus, & circa omnia loqui veritatem, & linguam suam ab omni malo refrenare: sed vos dispersi, & tribulati pro CHRISTI nomine, estis professores Christianę religionis: ergo debetis in omnibus, & circa omnia loqui veritatem. ideo dicit continuãdo, si quis autem vestrum putat, scilicet in se ipso, esse religiosum, idest Christianum, scilicet propter opera fidei, non tamen refrenat linguam suam à falsitate; sed seducit cor suum, idest extra veritatem ducit, & se ipsum decipit, huius vana est religio, idest sibi inutilis, est & vana professio Christiana. Deinde cum dicit Religio munda, & immaculata hæc est] hortatur

4. Ex vitæ honestę. & sanctę conuersatione.

nunc ad sanctæ vitæ, & honestæ conuersationem tali ratione. Illius vitæ cõuersatio est sancta, & immaculata apud Dominum, & Patrem, qui visitat pupillos, & viduas in eorum tribulatione, & immaculatum se custodit ab hoc sęculo: sed vos dispersi, qui estis professores Christianę religionis, debetis talibus operibus insistere, & sic immaculatos vos custodire per huiusmodi opera pietatis, tanquam veri professores Christianæ religionis. sic continuãdo, dicit, quòd religio munda, scilicet recta cordis intentione, & immaculata in operis executione apud Dominum patrem, idest apud illum, qui est Deus, per essentiæ maiestatem, & Pater per proprietatem personalē, hæc est, visitare pupillos, qui scilicet carent parentum subsidio; & visitare viduas, quæ carent virorum solatio in eorum tribulatione, & immaculatũ se custodire ab hoc sæculo, idest a curis mundanis, & transitorijs, quia nemo, Deo militans, implicat se in istis vanitatibus secularibus, quæ habent laqueandi, & maculandi incautos mille modos.

CAP.

CAP. II.



RATRES mei nolite in personarum acceptione habere fidem domini nostri IESU CHRISTI gloriæ. etenim, si introierit in conuentum vestrũ vir annulum aureum habens, in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei, Tu sede hic bene, pauperi autem dicatis, Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum; nõ ne iudicati estis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum? Audite fratres mei dilecti, Non ne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? Vos autem exonhorastis pauperem. Non ne diuites per potẽtiam opprimunt vos; & ipsi trahunt vos ad iudicia? non ne ipsi blasphemant bonum nomen, quod inuocatum est super vos? si tamen legem perficitis regalem, secundùm scripturas, Diliges proximum tuum, sicut te ipsum; benefacitis; si autem personam accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege, vt transgressores. QUICUNQUE enim totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Qui enim dixit, Non mæchaberis, dixit, & Non occides. Quòd, si non mæchaberis, occides autem; factus es transgressor legis.

Textus particula v.

NUNC in ista vult remouere personarum diuitum tantùm in temporalibus indebitam acceptionem, postea ponit remotionem quarundam dubitationum. & primò ponit hanc rationem, Quicunque debent pupillos, viduas, & pauperes visitare, & honorare, non debent habere fidem in personarũ diuitum acceptione: credentes, quòd, si diuites honorant propter eorum diuitias, & propter bona temporalia, & commoditatem recipiendis, quod hîc cupiunt, quòd propter hoc tales consequantur præmiũ æternæ gloriæ; sed modò vos dispersi propter nomen CHRISTI debetis visitare pupillos, viduas, & pauperes: ergo non debetis habere fidem in personarum

Remotio indebitę acceptionis personarũ.

personalium diuitum acceptione: putantes, quòd, si diuites honorantur propter diuitias, quòd ex hoc ipsi consequantur præmium æternum; sed debetis habere fidem Domini nostri IESV CHRISTI; per quam debetis assequi gloriā Domini nostri IESV CHRISTI. non ergo debetis illam glo riam habere propter personarum diuitum acceptionem, scilicet eos magis honorando, & ad dignitates assumendo propter eorum diuitias solùm, quàm pauperes. nunc autem sic cōtinuatur litera. fratres mei nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri IESV CHRISTI, & gloriæ quasi dicat, non habeatis fidem ita vt credatis consequi meritum glorię CHRISTI, vel prēmium, si pauperes contemnatis, & diuites colatis propter diuitias: quia sicut apud Deum non est acceptio personarum; ita nec apud vos debet esse. ideo dicit, Etenim si introierit vir in conuentu vestro, aureum annulum habens.] & hic intendit talem rationem, Illi sunt acceptatores personarum modo indebito, qui propter imperfectionem eorū cogitationis. pauperem cōtemnunt propter paupertatem, & diuitem exaltant propter diuitias suas: sed vos dispersi si sic facitis, sic estis personarum acceptatores, quod est malum. quòd non debet esse acceptio personarum, probat quatuor mediis. primò ex prauis nostris cogitationibus; secundò ex parte imitationis CHRISTI; tertiò ex oppressione pauperum; quartò ex parte offensionis Dei. continuatur sic litera, benè dico, quòd fidem Domini nostri IESV CHRISTI, vel fiduciam, seu spem bonam non debetis habere in personarum acceptione, quia, si quis introierit in conuentu vestro, idest in congregatione vestra, vir habens aureum annulum in veste candida, idest splendenti, vel pretiosa, supple exterius fortè, interius tamen gerens peccati turpitudinem, intrauerit autem frater pauper in sordido habitu exterius, interius fortè lucidus, & præclarus, & intendatis vos in illum cum attentione, qui est indutus veste preclara, & dixeritis illi, eum honorando, scilicet propter talem præclaram vestem, tu sede hic bene in loco honorifico: pauperi autem dicatis, scilicet ipsum contemnendo propter eius paupertatem, & sordidam vestem, Tu pauper sta illic: in tali autem loco sede sub scabello pedum meorum, quasi in vili loco: non ne tunc vos ipsi iudicabitis apud vosmetipsos, quasi dicat, non ne tale iudiciū dabitis apud vosmetipsos, vel, non ne iudicabitis vos ipsi, vel iudicium capietis a vobis ipsis, vel sententiam a vobis capietis, & non a Deo? & sic facti tunc estis iudices cogitationum vestrarum iniquarum, quibus cogitatis iniquè personas ex exterioribus tantum iudicare dignas honore, vel abiectione; & sic estis acceptatores personarum. deinde cum dicit, Audite fratres mei.] hic ostendit ex imitatione CHRISTI, quòd non debemus honorare diuites, sed pauperes, sic dicendo. Illos, vos dispersi debetis honorare, & non contemnere, qui a CHRISTO sunt honorati; sed honorati a CHRISTO sunt pauperes,

Abijciendā personarū acceptionē probant 4.
1. Praua cogitatio.

2. Exemplū Christi.

pauperes, scilicet spiritu, & voluntate: ergo vos debetis illos honorare, nõ diuites, id est amatores diuitiarum, & dicit sic, Audite fratres mei dilectissi mi, Non ne Deus elegit pauperes in mundo, sicut Ioannem, Andream, Iacobum, & alios; sicut Matheus. ix. Diuites autem in fide elegit hæredes regni, id est fecit eos credere, spem esse ponendam in hæreditate æterna, non in diuitijs temporalibus: quod quidem regnum ipse promisit diligentibus se, & nõ diligentibus temporalia. Vos autem dehonorastis pauperẽ, quasi dicat, vos nõ sequimini vestigia CHRISTI, quia pauperes abijcitis, & diuites colitis. CHRISTVS autẽ ẽ cõtrario docet, deinde dicit, Non ne diuites per potentiã.] idẽ probat ex parte oppressionis pauperũ a diuitibus, & sic formatur ratio, Non debetis honorare diuites propter diuitias, quia per huiusmodi diuitias vos opprimũt, verberãdo, vestra bona tollẽdo, ad iudicia vos trahẽdo: sed isti diuites omnia ista mala vobis faciunt. ergo nõ debetis eos honorare, & hoc est, quod dicit, Nõ ne diuites, per potẽtiam diuitiarũ, opprimunt vos, scilicet, vos conculcando, & trahunt sine culpa per potentiam ad iudicia, scilicet faciendo vos condemnari iniustẽ, quasi dicat, sic ipsi faciunt vobis per se, vel per amicos suos ministros. ergo non debent a vobis honorari. deinde, cum dicit, Non ne ipsi blasphemant bonum nomen.] hoc idem probat ex parte offensionis ipsius blasphemię, sic, illos nõ debetis honorare, qui blasphemant nomen Domini, quod est inuocatum super vos.] sed hoc faciunt ipsi diuites, scilicet, qui ponũt spem in diuitijs; & sic non debetis illos honorare: quia blasphemãt nomen Domini IESV, quod est super vos inuocatum: sed hoc faciunt ipsi diuites. dicit ergo, Non ne, supple; diuites blasphemant ipsi, ac etiam sunt causa, quòd alij blasphement, id est vilipendant nomen Domini: quia plus in diuitijs, quàm in Deo fidunt. blasphemant, inquam, bonum nomen, id est nomen Domini IESV: quia blasphemia, secundùm Hyeronimum, est iniuria Deo irrogata: quod fit, quando irrogatur eius nomini, quod quidem nomen inuocatum est super nos, id est ad omnem salutem nostram. nam bonũ nomen IESVS operatur nostram saluationem. nam dicitur Act. 4. non est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri, nisi in nomine IESV. deinde, cum dicit, Si tamen legem perficitis regalem.] hic ponit Apostolus quarundã dubitationum remotionem: nam ex dictis duplex dubitatio oritur. vna est de eo, quod immediate dictum est, scilicet, quòd non debemus diuites honorare, quod tamen videtur esse contra legem Domini, secundum quam dicitur nobis. Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. vnde, cum nos velimus nobis honorem exhiberi, videtur per dictam legem, teneamur diuitibus, tanquam proximis honorẽ, exhibere. alia est dubitatio, quæ oritur ex illa. nam, dato quòd faciamus contra istam legem, qua pręcipitur nobis, Leuit. x. Non confundas personam pauperis, nec honores vultum potentis

3. Pauperũ oppressio.

4. Offensio blasphemiæ.

Blasphemia.

Dubitationum remotio duplex.

Vtrum sint honorandi diuites.

Altera dubitatio.

D

potentis, non videmur propter hoc facere contra legem Dei, nec ex transgresione istius legis videmur effici transgressores totius diuinæ legis. continuetur litera sic, dictum est, quòd non debetis honorare diuites propter eorum diuitias, si tamen legem perficitis regalem secundū scripturas, idest si vultis seruare legem euāgelicam, quæ est regia, & excelsior inter omneis alias leges scriptas, & tamen si vultis seruare alias scripturas, & maximè hāc diliges proximum tuum, sicut te ipsum, benefacitis, quasi dicat, si honoratis, idest amatis diuitem, non vt diues, sed in quantum est proximus, videmini propter legis obseruantiam, & fraternam dilectionem, benefacere. & si tamen personas accipitis, & dignas acceptione putatis, scilicet honorando diuites propter diuitias, & pauperes contemnendo propter eorum paupertatem; peccatum operamini, redarguti a lege, quasi transgressores, scilicet per legem condemnati, quia tales efficiuntur transgressores illius legis, quæ habetur Deuter. 1. Quod iustum est iudicate, siue ciuis sit ille, siue peregrinus, nulla est distantia personarum, nec accipietis cuiusquam personam, & Leuit. ix. idem quod supra, Non confundas personā pauperis, nec honores vultum potentis: deinde cum dicit, Quicunque totam legem seruauerit.] hîc remouet secūdam dubitationem. nam posset quis credere, vt dicebatur, quòd offendendo quis contra illam legem, quæ prohibet acceptionem personarum, non propter hoc offendat contra totam legem diuinam. hoc ergo remouet Apostolus, dicens, Quicunq; autem totam legē seruauerit, idest proposuerit seruare in animo suo, offendat autem in vno precepto, vel in vno peccato, factus est omniū reus.] idest factus est reus ipsi Deo, idest auersus est ab ipso Deo, a quo auertēdo, omnia peccata habent, quòd sint peccata, idest ab ipsa auersione, & hoc patet ex hoc, quia, qui dixit Non mœchaberis, & Non occides, dicit, idest, qui dixit, vel prohibuit vnum peccatum, & aliud similiter prohibuit. ideo, si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis, idest, si transgrediendo, vnū peccatum feceris, transgressor es omnium aliorum, scilicet quantum ad intentionem legislatoris, qui intēdebat totam legem simul seruari, vel factus es omnium peccatorum, vel præceptorum reus, idest fecisti per vnum peccatum, vel per vnam transgresionem id, per quod omnia peccata dicūtur peccata, quia auertisti te a Deo, quia auersio a Deo est formale in peccato; ideo reperitur æque in omni peccato a Deo, quòd quātum ad auersionem omnia peccata possent dici vnum peccatū, adeo quòd si respiciamus ipsū Deum legislatorem, ipse non prohibet formaliter nisi vnum peccatū, formaliter loquendo, quia, quando prohibet mœchari, non prohibet formaliter ipsum, nisi in quantum auertit a Deo. si igitur Deus solùm prohibet auersionē ab ipso; & quia omnia peccata; scilicet mortalia auertūt a Deo; ideo ipse, prohibens talem auersionem, prohibet vnum solū, scilicet auersionem

Quomodo sit uerum, quòd qui in uno delinquit, sit factus reus omnium.

sionem ipsam formaliter. sic etiam possumus dicere, quòd, qui offendit in vno peccato, offendit in omnibus, in quantum per tale peccatum se auertit a Deo, a quo auertendo, omnia peccata, vel omnia opera nostra mala habent quòd sint peccata, quia scilicet a Deo nos auertunt, quod facit omne mortale peccatum, & sic peccata materialiter sunt multa, & formaliter, nō.

SIC loquimini, & sic facite sicut per legem libertatis iudicandi. iudicium enim sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam. superexultat autem misericordia iudicium. QVID proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem nō habeat? Nunquid poterit fides saluare eum? si autem frater, aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis, illis, Ite in pace, calefiatis, & saturamini: non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori: quid proderit? SIC, ET FIDES, si non habeat opera, mortua est per se. sed dicet quis, Tu fidem habes, & ego opera habeo. ostende mihi fidem tuā ex operibus tuis: & ego ostendam tibi ex operibus meis fidem meam. tu credis, quòd vnus est Deus, benefacis, & Dæmones credunt, & contremiscunt. Vis autem scire, o homo inanis, quòd fides sine operibus otiosa est? Abraham pater noster, non ne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides, quòd fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est? & suppleta est scriptura dicēs, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est. Videtis igitur, QVOD ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum? Similiter, & Raab meretrix, non ne ex operibus iustificata est, suscipiens nuntios, & alia via eijciens? SICVT enim corpus sine spiritu mortuum est; ita & fides sine operibus mortua est. — **Textus particula. 6.**

NVNC in ista parte Apostolus Iacobus remouet diuitiarum & rerum temporalium indebitam receptionem, ostendens, quòd non sufficit sola fides, nec sola compassio verborum ad proximorum subuentionem: sed oportet, quòd per operis exhibitionem eis auxilium porrigas, primo ex or- — **Fides sola nō sufficit, nec sola cōmiseratio uerborum:**

 dine,

&probatur 7. rationibus, oporte re subueni re proximis, per opera.

1. Ex obseruātia diuinæ legis.

dine, & obseruatione diuinæ legis. 2. ex iudicij expectatione. 3. ex inutili eorum fide. 4. ex proximorum indigentiæ subleuatione. 5. ex priuatione meriti fidei. 6. ex probatione operum, & fidei Abrahæ. 7. ex introductio ne exempli cuiusdam mulieris. & 1. intendit talem rationem, omnes Christiani volentes consequi vitam æternam, tenentur legem æternam obseruare, quia per talem legem debent iudicari, scilicet, si benè, vel malè egerint, & sic per illam præmiari, vel puniri. sed modo euangelica lex præcipit non solùm loqui per verba, sed etiam per opera complere illa, quæ per verba dicuntur: quia dictæ legis lator cœpit prius facere per opera, & postea docere per verba. cōtinua ergo sic. dictum est, quòd vos debetis totam legem seruare, & maximè euangelicam. sic ergo loquimini verbis de euāgelica fide, & sic facite operibus, sicut per legem libertatis incipientes iudicari, quasi dicat, ita debetis adimplere per opera, quæ loquimini ore, sicut statim deberetis iudicari de verbis, & factis per legem libertatis, idest per legem euāgelicam, quæ lex libertatis, idest amoris appellatur, & non timoris, vt lex vetus, cuius pœnę, & prœmia erant temporalia, & corporalia. euangelicæ autem legis pœnæ & præmia sunt æterna, & spiritualia, & corporalia. deinde, cum dicit, Iudicium sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam. superexaltat enim misericordia iudicium.] hoc autem proqat ex expectatione iudicij iusti iudicis, iudicantis vnumquemq; secundùm opera sua, & sic dicit, Illi debent suis proximis opera misericordiæ impēdere, qui a Deo iudicante expectant misericordiam. vos autem dispersi, a Deo iudice expectatis misericordiam: ergo debetis proximis in opere misericordiā facere. & verè debetis alijs in opere misericordiam facere, quia illi iudicium a iudice Deo fiet sine misericordia, qui non fecerit alijs misericordiam. continuetur sic. bene dico, quòd debetis sic facere misericordiam in opere, sicut loquimini ore. & ita quasi sitis incipientes iudicari, scilicet a Deo iusto iudice, quia ab ipso iudicium sine misericordia illi fiet, qui non facit in opere misericordiam proximo suo. subdit autē, quasi pro ratione, quia misericordia superexaltat iudiciū, idest preeminet, & dignior, & excelsior est iudicio, quia misericordia apparet in saluatis, iudicium verò in damnatis, & sicut saluati sunt præeminentiores damnatis, ita misericordia est præeminentior iudicio, vel dic, quòd misericordia pręminet iudicio, quia Deo magis placet, & ad eam magis est pronus, vel misericordia præminet iudicio, quia iudex debet magis inclinari ad misericordiam, & ad relaxandum de pœna, quam ad augendum, vel pręeminet misericordia, quia meretur, vt & sibi fiat misericordia, quia Beati misericordes, quoniā ipsi misericordiam consequentur. deinde, cum dicit, Quid proderit fratres mei, si fidem dicat quis se habere.] ponit aliam rationem ad id probandum. Illa fides est inutilis, & inutiliter possidetur, per quam homo non potest consequi saluationem

2. Ex iudicij expectatione.

3. Ex inutili fide.

uationem æternam. sed modo si quis dicat, se habere fidem, & non habeat opera, per talem fidem non pôtest consequi vitam ęternam. ergo talis fidei possesio est inutilis, & hoc intendit Apostolus, cum dicit, Quid ergo proderit homini fratres mei, si fidem dixerit, quis se habere.] idest si credat solùm fidem sufficere ad salutem: opera autem non habeat?] dic mihi, nunquid poterit sola fides saluare eum? quasi dicat, non poterit, & per consequens fallitur, sic credendo, & hoc si sit adultus, & habeat tempus bene operandi. deinde cum dicit, Si autem frater, aut soror nudi sint, & indigēt victu quotidiano.] nūc ponitur quarta ratio ad idem, quæ sumitur ex proximorum indigentię releuatione; sic, Omnes volentes consequi vitam ęternam, tenentur fraternam dilectionem, & proximorum indigentię releuationem: sed vos, videntes fratres, & proximos vestros necessitatem patientes, si dixeritis eis verba consolatoria tantùm; tamen non dederitis eis necessaria vitæ, propter hoc tamen eorum indigentia non releuatur, & sic nō adimpletis legem, tantùm verbis subueniendo proximis vestris. continua sic literam. Si autem frater, aut soror; nam omnes sumus fratres, & sorores per naturæ conformitatem, fidei vnitatem, & vitę æternę hæreditatem, tanquàm vnius patris filij; si autem nudi sint, quò ad exteriorem habitum: dicat autem ex vobis aliquis, Ite in pace, & calfacite propter frigiditatem exterius affligentem; supple, ac etiam quis vestrum dixerit famelico, ito in pace, & saturator propter calorem naturalem interius affligentem, quo causatur fames, & sitis: non dederitis autem naturę necessaria, quasi dicat nihil est eis hoc vtile, idest ista vestra Charitas verbalis nihil eis prodest ad eorū subleuationem: sic pari modo fides si nō habet opera, mortua est in semetipsa, & nihil tibi prodest, si tamen adsit facultas operandi exterius. deinde cum dicit, Sed dicet quis, tu fidem habes, & ego opera.] hic ponitur vna ratio ad idem probandum sic, Illorum fides est deridenda, & priuata omni merito, per quam tales sic credentes non distinguuntur a Dæmonibus: sed per illam fidem mortuā, & sine operibus non distinguuntur, sic credentes a Dæmonibus, nec boni a malis: ergo talis fides priuata est omni merito. continua sic literam, sed dicet alteri aliquis, qui scylicet habet opera sine fide. tu fidem habes, & ego habeo opera. ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam, quasi dicat imperando, vt dicit glossa, Ego possum tibi ex operibus probare vitam meam, quia probatio dilectionis est opus. sunt namq; ipsa opera signa, & inditia, quia possumus faciliter coniectare, si aliquis habet fidem, & charitatē. Tu verò fidem tuam ostendere non potes, quia non habes opera, quibus medianti bus faciliter possim credere te habere fidem. nam, propter talem fidē sine operibus, nō distinguuntur homines a Dæmonibus· vnde sequitur credis, quoniam est Deus, benefacis, idest benefacis credendo, ipsum Deum esse.

4. Ex subleuatione, proximorum.

Cur simus omnes fratres, & sorores.

5. Ex priuatione meriti ipsius fidei.

sed nota, quòd non sufficit: plus requitur, quia ipsi Dæmones credunt,& cōtremiscunt, quod plus est quam credere solùm. ideo animaduerte quòd aliud est credere Deum, aliud Deo, aliud in Deum; quia credere Deum, est credere Deum esse. Credere Deo, est credere vera, quæ Deus dicit. Credere in Deum, est credendo amare, & firmiter ei adhęrere, & in eum ire. primum, & secundum commune est Dæmonibus, & malis hominibus: tertium verò est tantū̄m bonorum, & perfectorum: quia talis fides bonorum est habitus infusus a Deo, quo assentimus, & credimus ea, quæ non apparent diuino lumine illustrari: illa autem fides Dæmonum non est habitus a Deo infusus, sed magis ex aliquibus visis contra ordinem naturalē, quæ, cum sint impossibilia naturæ, coguntur Dęmones ad credendum ex talibus miraculis visis, non quidem ex voluntate liberè assentiente, sed magis ex violentia rationis, strictè ex vi miraculorum ad credendum Deum omnipotentem, & ex hoc non est meritoria illa fides. deinde cum dicit, Vis autem scire, o homo, hic ponitur 6. ratio ad idem probandum. eadem est fides modernorum, & antiquorum; sed fides antiquorum patrum per opera probata fuit: ergo, & nostra fides ex operibus debet probari. dicit ergo, O homo inanis, idest sine operibus, vis scire, quoniam fides sine operibus est mortua?] quasi dicat tibi id demonstro. Abraham, pater vester non ne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suū super altare?] Gen. xxii. quasi dicat, quòd ex tali opere comprobata fuit eius fides: nam, secundùm glossam, magna probatio fuit, cum filium volebat occidere. magna enim fidei probatio fuit, cum de filio mortuo se credebat successionem se posse recipere. nam dicta erat illi, antedicta probatio Genes. xxii. in semine tuo, idest in successione seminis tui, benedicentur omnes gentes. Et subdit Apostolus, Vides ergo, quòd fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est.] idest completa, & perfecta est, & ex hoc completa est scriptura, dicens Gen. xv. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi, scilicet ipsum credere, ad iustitiam, idest ad iustificationem, & amicus Dei appellatus est. nam illa obedientia erat iusta, quia obediebat Deo suo superiori. erat etiā amicabilis, quia idē voluit quod Deus, & amicorum est idem velle, quia amica fuit coniunctio animorum, & fortitudo ipsius voluntatis. concludit ergo Apostolus, dicens, Videtis, idest manifestè videre potestis, quoniam ex operibus, & non ex fide tantùm iustificatur homo.] Sed nota, quòd diuersis modis dicitur quis iustificari. vno modo iustificari idem est, quod a peccato mundari, vel iustitiam, vel iustificationem recipere; & secundùm hunc modum dicit Apostolus ad Rom. Abraham fuisse iustificatum sine operibus suis præcedentibus fidē, quia per opera bona quæ fecisset ante fidem, non fuisset ita iustificatus apud Deum, vt ibi dicit Apostolus Paulus: in fide ergo Abraham iustificationē

accepit,

Diuerso modo intelligitur, credere Deū, Deo, & in Deum.

6. Ex probatione fidei Abrahæ.


Nunquid homo ex fide, uel ex operibus iustificetur

Iustificari dicitur pluribus modis.

accepit, sine operibus, fidē præcedentibus; non tamen simpliciter sine operibus, quia non sine operibus fidei: inter quæ, præcipua sunt, pœnitentia, odium peccati, credere Deum iustificatorem, sperare, diligere, & alia: quæ opera fidei nō excluduntur a Paulo, sed magis includuntur: Cum talia opera sint fructus fidei: prout in concil. Triden. sess. 6. cap. 9. Alio modo, dicitur, iustificari idē esse, quod complemētū, & augumētū recipere iustitię, & hoc modo dicit hic Apostolus Iacobus, quando dicit, quod fides Abrahæ ex operibus consummata, & perfecta est, quod intelligi debet de operibus sequentibus fidē, quia per fidē, ante erat iustus & tamen per opera ipsa fides augumentata, & completa, & perfecta est. deinde cū dicit, Similiter, & Raab meretrix, Hic ponitur 7. ratio ad idē, quæ talis est. per illa iusti augumentantur in gratia, per quæ liberantur peccatores a peccato. sed per opera bona peccatores liberantur, & iustificantur a peccato. ergo per opera bona gratia ipsa augumentatur. quòd autē per opera bona iustificentur peccatores, scilicet sequentia fidē, & eis gratia augeatur, & liberentur a pœna, peccato debita, patet, sicut dicitur Iosu. 2. de Raab meretrice, quę liberauit in Hierico exploratores Israel, idest iudeorū de manibus regis ipsius ciuitatis, quæ dicitur Hierico, & ex isto opere libera fuit a ruina, cum capta esset ciuitas. hoc est ergo, quòd dicit, Similiter autē, & Raab meretrix non ne ex operibus bonis iustificata est.] idest propter sua opera bona liberata est a ruina, quæ erat pœna hominū, & omnium habitantiū Hierico, & sic ipsa sola iustificata, libera permāsit a peccato, quia opus misericordiæ a peccato liberat, ac etiā permansit in augumēto gratię persistens, & perficiēs, & proficiens. quia, sicut animal sine spiritu vitali, est mortuum; ita fides sine operibus est mortua, scilicet habenti tempus, & commodum.

7. Ex charitate Raab.

CAP. III.



OLITE plures magistri fieri, fratres mei, scientes; quòd maius iudicium accipiemus. IN MULTIS enim offendimus omnes. SI QUIS in verbo non offendit, hic perfectus est vir, potens freno circunducere etiam totum corpus. ecce EQUIS frena in ora mittimus, ad consentiendum nobis: & omne corpus illorum circunferimus. ecce NAVES, cum tam magnæ sint, & a ventis validis minentur, circunferuntur a modico gubernaculo quòcunq; impetus dirigentis voluerit: ita & LINGUA modicum membrum est, & magna

Textus particula. 7.

gna iactat. ecce PARVVS ignis, quàm magnam ſyluam incendit. & LINGVA ignis eſt vniuerſitas iniquitatis. ſic lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totũ corpus, & inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata a gehenna. OMNIS enim natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentiũ, & cæterorum domantur, & domita ſunt a Natura humana. LINGVAM autem nullus hominum domare poteſt, inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipſa benedicimus Deũ, & Patrem, & in ipſa maledicimus homines, qui ad imaginem, & ſimilitudinem Dei facti ſunt. EX EODEM ore procedit benedictio, & maledictio. non oportet, fratres mei, hæc ita fieri. NVNQVID fons de eodem foramine emanat dulce, & amarum? NVNQVID poteſt, fratres mei, ficus oleas facere, aut vitis ficus? ſic nullus fons ſalſam, & dulcem poteſt facere aquam.

Expellenda ſapientia mundana propter. 7.

NVNC inducit diſperſos, & tribulatos pro CHRISTI nomine ad remouendam a ſe mundanam ſapientiam, propter multa mala, quæ facit, quæ omnia ex lingua procedunt, quę ſunt ſeptem, primo eſt malorũ incurſiua. 2. ęſt ambitionis incurſiua. 3. rancoris incenſiua. 4. bonorũ morum corruptiua. 5. indomitæ linguę inflammatiua. 6. prouocatiua turbationis. 7. eſt mali fructus productiua. & in prima parte intendit huiuſmodi rationem, Illa ſapientia eſt abijcienda, & a nobis remouenda per quam incurrimus damnationem Dei, & proximi offenſionem, atq; ſtultorum verborũ locutionem. ſed modò hæc omnia mala incurrimus ex mũdana ſapientia, falſa, & calamoſa; ergo talis ſapientia eſt a nobis abijcienda, & remouenda. continua ſic literam, Vſq; modo monui vos ad bona opera facienda, quia fides ſine operibus ocioſa eſt, & mortua, quod autem eſt mortuum in ſe, non poteſt pręſtare vitam alteri: nunc autem moneo vos ad falſam ſapientiam, & ad ſtulta magiſteria deuitanda. dico, Nolite plures magiſtri fieri fratres mei.] ideſt nolite appetere cathedram magiſtralem, niſi habeatis in vobis ſapientiam ſalutarem, ideſt veram, quæ ſola poteſt dare ſalutem, quæ eſt ſapientia fidei euangelicæ; quia, ſecundum gloſſam, multi fuerunt, tempore Apoſtolorum, qui, deſcendentes de Iudęa in Antiochiam, non bene ordinati in lege fidei euangelicę, docebant ipſos conuerſos, credentes, ex gentilibus debere circuncidi: & alios errores inducebant, docẽdo, & prędicando:

1. Incurrere ſtultorũ uerborũ locutionem, proximi offenſionem, & Dei damnationem.

dicando: qui tandem veris doctoribus, & prædicatoribus non paruum laborem quæstionis attulerunt. tales enim, propter appetitum dignitatis, fecerunt se doctores falsitatis, & erroris: & per consequens, ipsi primò damnationem magnam incurrebant; deinde alios errare faciebant. vnde dicit, Nolite plures magistri fieri.] sine literis, & moribus, sed propter ambitionem tantùm; Scientes, quoniam maius iudicium sumitis.] idest maiorem damnationem incurritis. Nam in multis nos offendimus omnes.] ideo periculosum est nobis, docere: quia non tantùm vos minus eruditi, sed omnes nos maiores, & doctiores prædicatores in multis offendimus omnes; dum mala omnium palàm facimus, veritatem euangelicam prædicando: ideo offendimus, maximè in verbis: quia, si quis in verbo nō offendit, hic perfectus est vir.] cum autem difficile sit esse perfectum, sic difficile est nō offendere verbis: & sic multa pericula incurrunt magistri, in docēdo: quia VERITAS securius auditur, quàm doceatur. Nolite ergo plures fieri magistri, sine peritia, fratres mei.] propter diuinam prohibitionem: scientes, quòd maius iudicium sumimus nos magistri, idest maiorem damnationē, ex affectato magisterio Ecclesiæ indoctæ, & indisciplinatæ: quia sic in multis nos indocti, & indisciplinati offendimus, scilicet verbis, & factis: vel nos disciplinati, & morigerati in multis offendimus, saltem verbis: & sic non affectandum est magisterium. quia, qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir, propter verborum periculosam locutionem. deinde, cū dicit, Potens eum freno circunducere totum corpus.] hîc ponitur 2. ratio, quòd non debet appeti, propter periculum linguæ: quæ ratio talis est, Illa locutio est refrenanda, & a nobis remouenda, quæ est ambitiosa, & inanis gloriæ appetitiua: sed talis est locutio linguę, procedētis ex ambitione, & stulta, & fallaci, & verbosa sapientia: ergo talis locutio est abijcienda, & remouenda. ideo dicit, continuando, Bene dico, quòd, qui non offendit in verbo, ille perfectus est vir.] ideo debet homo compescere linguam suā, sicut ipse ponit frenum alijs rebus fortioribus, & potentioribus lingua. quia qui refrenat linguam, circunducere potest totum corpus.] idest omnes actiones suas, scilicet a recto tramite, ne diuertant. hîc probat per simile, quia similiter equis frena mittimus in ora ad consentiendum nobis, & omne corpus eorum circùmferimus.] idest ducimus ipsum quocunq; volumus. ista est vna similitudo, quòd ita possumus, & linguam frenare, sicut & equos. nunc ponit aliam. ecce Naues, cum magnæ sint, & a ventis magnis minentur.] idest impetuosè ducantur, tamen circunferuntur & ducuntur, & diriguntur a modico gubernaculo, scilicet a temone, quò impetus dirigentis voluerit. dicit ergo diximus, & omnia dicta gubernamus, quæ sunt potentissima, & fortissima; ita, & lingua modicum membrum est in se: tamen, & magna exaltat, idest magna, & alta iactat de se, nisi eam homo refrenet,

Tutius auditur ueritas, quàm doceatur.

2. Incurrere ambitionem.

Lingua frenanda.

& gubernet, ne in ambitiosa, & inania verba prorumpat. vnde signanter ambitiosi lingua magna exaltat. vnde dicit litera, quòd cunctorum verba, & sensus despiciens signanter se sapientem iactat, & facundum, cõtra quos dicitur. 1. Reg. Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes, scilicet vosmet, & subditur ibi causa, quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi patent cogitationes superbę. deinde dicit, quantus ignis quàm magnam syluã incendit.] ponit quomodo est frenanda lingua propter incommoda, quæ sequuntur, si non frenetur. ideo dicit, Et si paruus sit ignis, tamen magnam syluam, & maximè combustibilẽ incẽdit. & lingua ignis est. vniuersitas.] idest cumulus iniquitatis. Nunc ponitur tertia ratio, Illa locutio est frenanda, & a nobis remouenda, quæ est rancoris, & superbię incensiua, & vniuersæ iniquitatis dispositiua; sed talis est locutio linguæ, procedentis ex mũdana, & verbosa, non recta sapientia: ergo talis locutio est a nobis frenãda, & remouenda. ideo dicit, Quantus ignis, idest quam paruus ignis est ipsa lingua, & quàm magnam syluam incendit.] nam quandoq; incendit totã syluam virtutum, quia malè loquendo, interdum homo deuorat omnes virtutes, & omnia dona, & bona, quæ in se habet. quandoq; verò ex mala locutione homo inducit se, vel alium ad iram, vel ad rancorem, & ad superbiam, quia lingua est vniuersitas iniquitatis, idest est, vel potest esse occasio omnium malorum. Deinde ponit aliud incommodum malę linguæ, cum dicit, Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totũ corpus.] Hîc ponitur 4. ratio, illa locutio est frenanda, & remouẽda a nobis, quę est bonorũ morum corruptiua; sed talis est locutio linguæ prauæ, procedentis ex diabolica suggestione. ergo est remouenda. dicit ergo, lingua constituitur in membris nostris.] idest est in membris nostris, supple, illa, quæ maculat totum corpus, quia eius vitium in cætera membra corporis redũdat, & sic totũ corpus maculosum facit, & nõ solùm hoc, sed & inflammat rotã natiuitatis nostrę, idest inflat, & incẽdit, & maculat omnia opera nostra, quæ dicũtur esse rota, propter ipsorũ operũ volubilitatẽ, & rotationẽ. nã sicut in rota idẽ est principiũ, & finis, sic in actibus nostris quãdoq; credit homo finire, & tũc incipit, quia, cũ infirmauerit homo, tũc incipiet. Ecclesiast. xviii. & hæc lingua, quæ sic maculat vitã nostrã. est enim inflammata a gehenna, idest a diabolo (quia, secũdùm glossam, Gehenna Diabolus est) idest a suggestione diabolica inflammata, & inordinatè mota, & dicitur lingua inflammata, a gehenna, quia propter ipsam malam linguã, & propter ipsum diabolum, gehenna facta est, idest locus tormentorũ. deinde, cum dicit, Omnis enim natura bestiarum.] hîc ponitur 5. ratio, in qua ponitur quintum incommodum malę linguæ sic, Illa locutio est a nobis remouenda, quę est incorrigibilis, & indomabilis; sed locutio talis linguæ inflammatæ a diabolo, propter quam facta est gehenna, est indomabilis, & incorrigibilis.

3. Rancor incenditur

Male loquẽdo interdũ bona omnia corrũpuntur.

4. Bonos mores corrumpere.

Gehenna.

5. Inflammatio indomitæ linguæ.

incorrigibilis. ergo debet remoueri a vobis. ideo dicit Omnis enim natura bestiarum, sicuti leonum, & volucrum, vt aquilarum, & serpentum, vt aspi dis. nam dicit glossa immanissimã Aspidẽ a patre famili s in Aegypto domitam fuisse, quæ, quotidie de cauerna egrediens, de mensa illius accipiebat sibi victum. omnia ergo immansueta domantur, idest sunt apta domari a natura humana: sed linguam nullus hominum domare potest, scilicet quandiu stat inflammata gehenna diabolicæ deceptionis. deinde cũ dicit, Est enim inquietum malum plena veneno mortifero.] nunc ponitur sextũ incommodum, sic, Illa locutio est vitanda, quæ est turbationis, & inquietudinis prouocatiua; sed talis est locutio malæ inflammatę lingua: ergo est vitanda. & verè locutio malæ inflammatæ linguæ est prouocatiua turbatio nis, quia ipsa est inquietum malum, plena veneno mortifero. ergo locutio talis linguæ venenosæ est vitanda. & nota, quòd lingua est inquietum malum in se, & in alijs. in se nanq;, quia, qui respicit illam, nõ habebit requiẽ, nec habebit amicum, in quo requiescat. Ecclesiast. xxviii. in alijs similiter est inquietum malum, quia, vt ibidem dicitur, Susurro bilinguis, & maledicus; multos enim turbauit, pacem habentes, dicitur autem lingua plena veneno mortifero, propter aliorum infectionem, quia ibidem dicitur Lingua tertia multos commouit, & dispersit de gente in gentem, suo veneno. 6. Prouocatio turbationis, & inquietudinis.

Deinde cum dicit in ipsa benedicimus.] Hîc ponitur septimum incommodum, sic, Illa locutio nõ est ordinata, neque bona, quæ ita est mali fructus, sicut & boni productiua; sed talis est locutio linguę absolutæ, quia est productiua boni, & mali fructus, quia aliquando loquitur bona, & aliquando mala; cum tamen semper deberet loqui bona. ergo debet vitari inordinata locutio, quæ est sine ratione. dicit ergo, quòd ipsa, scilicet lingua, benedicimus Deum, idest ipsum filium, propter ipsius sapientiam, & patrem, scilicet benedicimus, propter ipsius potentiam, & in ipsa scilicet lingua maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt, & sic, supple, maledicimus Deum; quia, qui maledicit creaturã, maledicit creatorem ipsius. ex ipso ergo ore procedit maledictio, & benedictio; cũ tamen debeat procedere benedictio sola. Deinde dicit, nõ oportet, fratres mei, hæc ita fieri.] scilicet, quòd benedictio cõuertatur in maledictionem ex eodem ore. ideo dicit, Nunquid fons ex eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquã, Nunquid potest, fratres mei, ficus vuas facere, aut vitis ficus. sic nec quis salsam potest dulcem facere aquam.] & est ratio talis, Vnum, & idem non potest esse productiuum contrariorum; sed lingua est vnum membrum; ergo non potest ex se ducere duo contraria, & sic non potest ex ipsa manare benedictio, & maledictio, nisi cum deformitate peccati, quia tunc amaritudine maledictionis consumitur dulcedo benedictionis, vt dicit glossa. ergo non oportet fratres mei, quòd ex eodem ore benedicamus Deum, & 7. Mali fructus productio.

maledicamus creaturas eius, quia dic mihi, Nunquid fons, de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam.] quasi dicat, non est possibile. Nunquid potest etiam, fratres mei, ficus vuas facere, aut vitis ficum.] vel vt dicitur Matthe. 7. Nunquid colligunt ex spinis vuas, aut ex tribulis ficus, Sic, nec salsum potest dulcem facere. Itaq;, nec lingua, scilicet mala, potest bona loqui, sicut, nec arbor mala potest bonos fructus facere.

Textus particula 8.

QVIS sapiens, & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conuersatione opera sua in mansuetudine sapientiæ. Quòd, si zelum amarum habetis, & contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem. non est enim ista sapientia desursum descendens; sed terrena, animalis, diabolica. VBI ENIM zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum. QVAE AVTEM desursum est sapientia, primum quidem pudica est: deinde pacifica, modesta, suasibilis, plena misericordia, & fructibus bonis, non iudicans, & sine simulatione. FRVCTVS autem iustitiæ in pace seminatur, facientibus pacem.

Tria disponunt ad recipiendum diuinam sapientiam. 1. Sancta, & honesta uitæ côuersatio.

Hic ponitur, qualiter debent se disponere, volentes recipere diuinam sapientiam. tria enim sunt disponentia. 1. sanctæ, & honeste vitæ debét habere conuersationem. 2. pacis, & tranquillitatis vnionem 3. superbiæ remotionem, & detestationem. & primò dicit, Quicunque volunt diuinam sapientiam recipere, debent sanctam, & honestam vitæ conuersationem habere: sed vos, dispersi, vultis disciplinari, & doceri per diuiná sapientiá: ergo oportet, vos honestam, & sanctam conuersationem vitæ habere. dicit ergo, quis sapiens, & disciplinatus inter vos.] idest, si quis cupit esse, vel est sapiens, scilicet ex se ipso, scientiam acquirendo, & disciplinatus, scilicet a magistro, doctrinam recipiendo, vel exterius operando, inter vos, ostendat, idest ostendere debet exterius. primò ex bona conuersatione, operationem suam, scilicet esse sanctam, & immaculatam, & maximè talem operationem debet ostendere in mansuetudine suæ sapiêtiæ, idest in humilitate suscipere sapientiam, vel in humilitate, & mansuetudine ostendat exterius sapientiam suam, per bona opera, non indignatione, ne scilicet, propter sapientiam, eleuetur in corde suo, sed omnia mansuetè agere. deinde cú dicit,

2. Pacis, & tranquillitatis unio.

Quòd, si zelum amarum habetis.] Hic ponit, qualiter volentibus diuiná sapientiam recipere, debet esse pacis, & tranquillitatis vnio, tali ratione, Illi, qui volunt diuinam sapientiam recipere, debent amaritudinem, & contentionem

tionem de suis cordibus remouere; sed vos vultis recipere diuinam sapientiam; igitur debetis remouere de vestris cordibus amaritudinem, & contentionem. dicit ergo, continuando literam. Bene dico, quòd debetis, in mãsuetudine sapientiæ, habere conuersationem vestram, quia, si zelum amarũ habetis, idest, si habetis liuorem, & amaritudinẽ contra proximos vestros, & contentiones sint in cordibus vestris, despiciendo vestros socios ex vestra sapientia: nolite gloriari.] idest non putetis, vos habituros gloriam, & præmium æternum pro his bonis, quæ fiunt a vobis ex vestra sapientia, ad aliorum depressionem; amaro zelo cõtra proximum, quem despicitis, superbiendo, & duris verbis exasperando. Et nolite etiam mendaces esse aduersus veritatem.] idest nolite mentiri Deo, qui est veritas, cum in baptismo promiseritis, diaboli pompis abrenunciare, quod non facitis, quãdo de vestra sapientia, vel de bonis operibus superbitis, quasi vestra sint, & non Dei dona. deinde cum dicit, Non est enim ista sapientia desursum.] Hîc ponit quòd in volentibus sapientiam recipere diuinã, debet esse superbię remotio, & detestatio. & est talis ratio, Illi, qui volunt diuinam sapientiam recipere, debent detestari, & a se remouere sapientiam terrenam, animalem, & diabolicam, & quæ non est desursum descendẽs: sed vos vultis diuinam sapientiam recipere; per consequẽns remouere debetis a vobis illã sapientiam animalem, diabolicam. dicit ergo, quòd illa sapientia superba, & contentiosa, quæ non est in mansuetudine, non est desursum descendẽs, idest non nobis diuinitus inspiratã: sed est terrena, idest terrenæ gloriæ cupida; vel est de terrenis considerans, & est animalis, idest tantum præsentia quærens. est etiam diabolica, idest superba, & contentiosa, nescia subdi, & mansuetè loqui, & ponit istius causam, quia vbi zelus, idest indignatio, & contentio, ibi inconstantia, scilicet mentis, fluctuantis de vno in aliud in omne opus prauum, scilicet quò apud Deum, etsi apud homines aliquãdo bonum appareat. deinde cum dicit, Quę autem desursum est sapientia.] ponitur nunc diuinæ sapientiæ descriptio, tali ratione, Illa doctrina est alijs dignior, quę est sapientia desursum nobis reuelata; sed talis est sapientia diuina: ergo est alijs dignior. dicit ergo, Bene dico, quòd sapientia contentiosa, & superba non est desursum reuelata, neq; de supernis, imò magis terrena, & diabolica; sed illa, quæ est pacifica, scilicet, & humilis; illa tantũ desursum est. nunc autem ponitur per ordinem conditio diuinæ sapientiæ, quę de sursum est; & primò quidem est pudica, idest pura, sine infectione, quia est vapor raritatis Dei, & emanatio quędam charitatis Dei omnipotentis. secundo est etiam pacifica, idest quieta sine turbatione, quia non habet amaritudinem conuersatio illius. tertio est etiam modesta, idest circunspecta, sine morum corruptione. quarto est suasibilis, idest placabilis sine superbię elatione. quinto est bonis consentiens, idest bonis se communicans

3. Superbię abiectio, & detestatio.

Diuinæ sapientiæ descriptio.

Conditiones diuinæ sapientiæ, septem.

sine inuidiæ æmulatione. sexto est plena misericordia, & operibus bonis, idest pia cum charitatis dilectione. septimo est iudicans sine simulatione, idest iustè sine personarum acceptione. deinde cum dicit, Fructus autem iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem.] ponuntur fructus, & vtilitates diuinæ sapientiæ, idest merces, & præmium, quod debetur operibus iustitiæ, idest operibus iustis, est pax, quæ seminatur a facientibus pacem, quia homo debet seminare pacem in se ipso per diuinorum mandatorum obseruationem. Etiam homo debet seminare pacem cum proximo suo per mitigationem malorum operum, non solùm verborum. debet etiam homo seminare pacem cum Deo, vel ad Deum per ipsius voluntatis conformitatem: facientibus autem hanc triplicem pacem, fructus iustitię seminatur, idest præparatur eis diuina lætitia, & filiatio, quia, Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.

Fructus diuinæ sapiētiæ.

Homo debet seminare in pacē, in 3. 1. In se ipso 2. cum proximo. 3. Cū Deo.

CAP. IIII.

Textus particula 9.



VNDE bella, & lites in vobis? Non ne hinc? ex voluptatibus vestris, quæ militāt in membris vestris? Concupiscitis, & non habetis: inuidetis, & zelatis, & non potestis adipisci. litigatis, & belligeratis: non habetis, propterea quòd non postulatis. PETITIS, & non accipitis, eo quòd male petatis, vt in voluptatibus vestris insumatis. Adulteri, & adulteræ, ne scitis, QVOD Amicitia huius mundi, inimicitia est Dei? QVICVNQVE ergo voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur. An putatis, quòd inaniter scriptura dicat, Ad inuidiam concupiscit spiritus, qui habitat in vobis? Maiorem autem dat gratiam. propter quod dicit, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

SVPRA Apostolus induxit dispersos, & tribulatos pro CHRISTI nomine ad tribulationum tolerantiam ex pacis, & concordię vnione, quia, qui in tribulatione sunt, maximè debent habere pacem, & concordiam. hæc autem duo sunt maximè necessaria ad pacē, & concordiam habendā. primum est impedimentorum remotio. secundum est necessariorum procuratio. Impedientia pacem, maximè, sunt hæc; primum, Carnalis concupiscentia,

Duo ad pacem necessaria. 1. Remotio impedimentorū. 2. Procuratio necessa

piscentia, quæ concupiscit aduersum spiritum. secundum, Diuitiarum cupiditas, quia non satiatur appetitus auari terreu, Cum proximis litigatio, quia seruus Dei non debet litigare. quartum est Petitionis incongruentia, & malitia, quia petendo, & non accipiendo, turbatio generatur. quintum est Dei inimicitia, quia, vt ex Dei amicitia suauitas, & pax generatur; ita ex eius inimicitia prauitas, & odium. sextum est Aemulatio, & inuidia, quia tunc homo in se ipso quietem habere non potest. & primo docet Apostolus remouere a se carnalem concupiscentiam, tali ratione, Illi, qui volunt pacem in seipsis habere, debent a se remouere carnalem concupiscentiam, per quam habetur pugna, & bellum in eis: sed vos dispersi propter nomen Domini, debetis velle habere pacem, & concordiam in vobis: ergo debetis carnalem concupiscentiam a vobis remouere. continuetur sic. dictum est, quòd facientibus pacem præparatur, & seminatur fructus iustitiæ, qui erit gaudium æternum; quam pacem vos debetis habere, vt talem fructum consequi valeatis. vnde ergo bella, & lites, quę sunt in vobis.] quasi dicat ex quo talis, & tantus est fructus sapientiæ, vnde ista oriuntur in vobis, nō ne sunt, & causantur ex concupiscentijs vestris, idest quia malè concupiscitis terrena, quæ militant, idest dominantur in membris vestris.] immò, supple, bellum, & pugnam non habetis, nisi ex istis prauis concupiscentiis vestris. Quomodo autem cōcupiscentia militet, & dominetur, nota, quòd concupiscentia dicitur militare tribus modis. primo militat quò ad membrorum motionem tantum, & tunc habet veritatem, quòd concupiscētia militat, & dominatur in nobis, & non est in nostra potestate talis actio, scilicet, quòd concupiscentia non moueat; quia de ista dicebat Paulus Roman. vii. Sentio in membris meis legem repugnantem legi mentis meę, & nobis nolentibus, caro ipsa concupiscit, & militat, & dominatur quò ad hoc tantum quod est mouere tantum. secundo, dicitur militare, & dominari quantum ad cogitationum superuentionem, & tunc adhuc militat ipsa concupiscentia aduersus animam, quia non est in nostra potestate, quòd nobis nō veniant in mentem illæ cogitationes, & motiones ad cogitandū. imò aliquando intellectus præoccupatur mala cogitatione, causata ab illa promotione. tertio potest intelligi concupiscentia militare, & dominari quò ad voluntatis deliberationem, & tunc nō habet veritatem, quòd talis concupiscentia ex necessitate militet, & dominetur in nobis, nisi quò ad quandam inclinationem, in quantum anima coniuncta corpori ad voluptatem ex complexione corporis inclinatur: sed tamen in potestate ipsius animæ est consentire, vel non consentire ipsis motibus, in membris insurgentibus, & cogitationibus in intellectu superuenientibus, vel in mente: propter quod concupiscentia, vel desiderium, quæ prouenit ex membrorum motibus interioribus, vel exterioribus, vel ex cogitationum superuē-tione,

riorum. Impedietia pacem, sex remouēda.

1. Carnalis concupiscentia.

Concupiscentia trifariam dicitur militare.

Primò, quoad motionem.

2. Quantū ad cogitationum superuentionem.

3. Quoad uoluntatis deliberationem.

tione, non habet quòd sit mortale peccatum, nisi postquam deliberata fuerit per firmum consensum voluntatis: quia peccatum in tantum est peccatum, in quantum est voluntarium. volens ergo Apostolus ostẽdere istam concupiscentiam militare, a qua non possumus nos absoluere, dixit, & dominari in nobis.] quę cõsurgit ex membrorum nostrorum motionibus, dixit, inquàm, pugnam, & bellum esse in nobis, & non dixit peccatum, ex concupiscentijs, quæ militant, & impugnant nos in membris nostris. deinde cum dicit, Concupiscitis, & non habetis; inuidetis, & zelatis, & non potestis adipisci; vel occiditis, & zelatis, & non potestis habere.] ponitur secunda ratio ex diuitiarum auaritia, quæ talis est, Illi, qui volũt habere pacem in se ipsis, debent amouere appetitum pecuniarum, & diuitiarum, per quarum appetitum eueniunt nobis multa mala; sed vos dispersi, & tribulati debetis velle habere pacem in vobis ipsis; & per consequens debetis amouere a vobis appetitum diuitiarum. ideo dicit, continuando, concupiscitis, scilicet pecuniam, & diuitias, & non habetis illas. occiditis, scilicet proximos vestros, vt pecunias habeatis, zelatis, idest ardenter diuitias amatis, & non potestis adipisci illas. deinde cum dicit, Litigatis, & belligeratis, & nõ habetis.] hîc ponitur tertia ratio, sumpta ex locutione litigatoria, quæ talis est, Illi, qui volunt habere pacem in se ipsis, debent locutiones, & operationes litigatorias a se remouere: sed vos dispersi, propter nomen CHRISTI, debetis velle habere pacem in vobis: ergo debetis a vobis remouere locutiones, & operationes litigatorias. dicit ergo litigatis, scilicet locutionibus, & belligeratis, scilicet operationibus litigatorijs, & non habetis, scilicet propter hoc, quod postulatis, quasi dicat. ideo non habetis, quod postulatis; quia talia non postulastis humiliter, & in Dei nomine: sed magis cum superbia, & arrogantia, & quia Deus superbis resistit, ideo, cum toto litigio vestro, non potestis habere, quod petitis. deinde cum dicit, Petitis, & non accipitis eo quòd malè petatis,] ponitur nunc quarta ratio, sumpta est petitionis ignorantia, quæ talis est, Illi, qui volunt habere pacem in se ipsis, debent a se remouere illa, per quæ non exaudiuntur in petitionibus suis, quia, si quis non auditur in suis petitionibus, in animi perturbationẽ incurrit: sed vos dispersi debetis velle habere pacem in vobis: ergo debetis remouere impedimenta, propter quæ non exaudiuntur vestræ petitiones. ideo dicit, quòd vos non habetis quod postulatis: petitis, non accipitis postulata, eo quòd malè petatis, vt in concupiscentijs vestris insinuatis, idest persistatis, vel insinuatis, idest vos ipsos consumetis. quia homo tũc quasi se ipsum consumit, & exurit, vel comburit, quando ardenter, & sine freno aliqua concupiscit & obtinere non valet, eo quòd male concupiscit. deinde cũ dicit, Adulteri nescitis, quia amicitia huius mundi inimica est Deo.] ponitur hîc quinta ratio, sumpta est Dei inimicitia, quæ talis est, Quicũq; volunt

Secundum remouendum, diuitiarũ auaritia.

3. Aduersus proximos litigatio.

4. Non recta petitio

5. Dei inimicitia.

volunt pacem habere in se ipsis, debent a se Dei inimicitiam remouere: sed vos dispersi, debetis velle habere pacem in vobis: ergo debetis a vobis remouere Dei inimicitiam. dicit ergo, Adulteri, scilicet, quia propter amplexus indebitos, & propter diuitias, & amoré mundi indebitum, dimisistis amorem Dei, & cœlestium, nescitis, quasi dicat non debetis ne scire, quia amicitia huius mundi inimicitia est Deo, quasi dicat, hoc scire debetis, quòd quicunq; ex vobis voluerit esse amicus huius sæculi, ideſt rerum ſecularium, quæ cum sæculo terminantur, inimicus Dei constituetur in futuro. deinde cum dicit, An putatis quòd inaniter dicat scriptura.] hîc ponitur sexta ratio, sumpta ex inuidiæ æmulatione, quæ talis est, Illi, qui volunt in se ipsis habere pacem, debent remouere a se inuidiæ æmulationem: sed vos dispersi debetis velle habere pacem in vobis: per consequens debetis remouere impedimenta æmulationis ipsius inuidiæ. dicit ergo, An putatis, quòd inaniter, ideſt frustra, vanè, scriptura dicat, Ad inuidiam concupiscit spiritus, qui habitat in vobis, quasi dicat, nunquid spiritus ſanctus, qui habitat in vobis sicut in suo templo concupiscit ad inuidiam, quasi dicat, nó facit vos talis spiritus inuidere, imò dat vobis maiorem gratiam, ideſt amorem gratiarum, vel maiora dona gratuita, quàm sint bona temporalia, propter quę vos inuidetis proximis vestris, propter quod, supple, scriptura dicit Prouer. 3. secundùm antiquam translationem, superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. nostra autem litera dicit illusores ipse illudet, & mã suetis dabit gratiam, quod idem sonat, quasi dicat, illusores superbos Deus illudet, & humiles respicit, donando gratiam, illos acceptando, & recipiendo. 6. Armulatio.

SUBDITI estote Deo, resistite autem diabolo, & fugiet a vobis. Appropiate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores, & purificate corda, duplices animo. Miseri estote, & lugete, & plorate. risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mærorem. humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos. Nolite detrahere inuicem, fratres mei. qui detrahit fratri, aut, qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem. Si autem iudicas legem, non es factor legis, sed iudex. vnus est legislator, qui potest perdere, & liberare. Tu quis es, qui iudicas proximum tuum? Agê nunc, qui dicitis, Hodie, & cras ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi annum vnum, & mercabimur, & lucrum faciemus (qui ignoratis quid Textus particula x

erit in crastino? vapor est, ad modicum parens, & deinceps exterminabitur) pro eo, vt dicatis, Si Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc aut illud. Nunc autem exultatis in superbiis vestris. Omnis exultatio talis, maligna est. SCIENTI igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.

APOSTOLVS, postquàm posuit impedimentorum, impedientium pacem, remotionem, in parte hac ponit eorum, quæ expediunt ad pacem habendam procurationem, quæ sunt septem. & primo intendit talem rationem, Quicunq; volunt habere in se ipsis pacem, debent subijci Deo, propter quod consequuntur fortitudinem, qua possint diabolo resistere, ac dilectionem ad Deum appropinquare nos facientem, & diuinā misericordiam in eis existentem ipsi consequuntur: sed vos dispersi, propter nomen Domini, vultis in vobis ipsis habere pacem: ergo debetis subditi esse Deo, vt ex hoc consequamini fortitudinem contra diabolum resistentem: dilectionem ad Dominum appropinquantem, & diuinam misericordiam in vobis existentem. continua sic literam, Dictum est, quòd superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam, idest auxilium diuinū. vt igitur gratiam habeatis, & pacem, subditi estote Deo.] per humilitatem, & obedientiam, resistite autem diabolo.] per fidem, scilicet mala suggerenti vobis, & fugiet a vobis.] scilicet, si non consenseritis eius suggestionibus, appropinquate Deo.] scilicet per viuam fidem, quę per dilectionem operatur, & appropinquabit vobis.] illam vobis infundendo. deinde cum dicit, Emūdate manus, peccatores.] ponitur 2. ratio, quæ talis est, Illi, qui volunt pacē in se ipsis habere, habere debent puritatem conscientiæ: sed vos dispersi, vultis habere in vobis pacem: ergo debetis habere puritatem conscientiæ. dicit ergo, o peccatores mundate manus.] idest operationes vestras, & purificate corda vestra.] idest mentes, & intelligentias, & voluntates, & conscientias vestras in amore Dei, scilicet vos, qui estis duplices animo.] duplici corde, idest vos, qui estis duplices simul terrena, & cœlestia quærētes. purificate ergo corda vestra ab appetitu, & amore terrenorum. Et ideo nota, quòd peccatores in se ipsis pacem habere non possunt, propter eorum infectionem, quia sibi ipsis inimicantur, & sibi ipsis dissentiunt, nec de se ipsis gaudere possunt. deinde cum dicit, Miseri estote.] hic ponitur 3. ratio, quæ talis est, Illi, qui volunt in se ipsis habere pacem, debent suorum peccatorum habere deplorationem, & cōtritionem: sed vos dispersi, vultis in vobis habere pacem. ergo debetis peccatorum vestrorum habere contritionem. dicit igitur estote vos miseri, scilicet memores scelerum vestrorū, & lugete scilicet pro peccatis commissis. risus vester scilicet, quem habuistis in

Ad pacem parandam, septem requirūtur, Primum, Deo subijci.

2. Puritas consciētię.

3. Peccatorum deploratio.

stis in præteritis malis, conuertatur in luctum; & gaudium de caducis istis in mœrorem penitentiæ. deinde cum dicit, Humiliamini in conspectu Do mini, & exaltabit vos.] ponitur 4. ratio, quæ talis est, Illi, qui volunt pacem in se ipsis habere, debent se humiliare in conspectu Domini. sed vos debetis habere pacem in vobis ipsis. ergo debetis vos humiliare in conspectu Domini. dicit ergo, humiliamini in cóspectu Domini.] non tantùm corpore, sed mente, & spiritu per veram cordis cótritionem, & exaltabit vos [per peccatorum vestrorum relaxationem, & glorię introductioné. deinde, cum dicit, Nolite detrahere alterutrum.] ponit quintam rationé, sic, Illi, qui volunt habere pacem in se ipsis, non debent proximis detrahe re; sed vos dispersi propter nomen CHRISTI, vultis pacé in vobis habere: ergo non debetis proximis vestris detrahere. dicit ergo, Nolite detrahere alterutrum fratres mei.] quasi dicat, Vnus alteri non detrahat, scilicet de eo, quod non scit, vel de eo, quod non est forte malè commissum, cuius causam subdit, quoniam, qui detrahit fratri suo, aut iudicat fratrem suum, detrahit legi.] idest minuit, vel derogat legi, & iudicat legem, idest damna bilem facit, vel reputat ipsam legem, quæ detractionem prohibet, & quæ prohibet iniquum iudicium. Leuit. xix. Nóeris criminator, neq; susurro in populis. Ibidem. Et non facies, quod iniquum est, neq; iniustum iudicium: sed modò, si tu iudicas legem, & damnabilem facis legem, non eris sic factor legis, idest non eris obseruator legis, sed iudex: cum tamen illius iudex esse non debeas, quia vnus est legislator, & iudex.] scilicet ipse Deus, qui potest non implentem, idest non seruantem legem, perdere, & libe rare potest, scilicet non obseruantem, scilicet ex misericordia illum iustificare, & obseruantem facere. tu autem quis es.] id est cuius authoritatis es, qui iudicas alienum fratrem tuum, idest detrahédo, quia tu fortè in nullo eum superas, quem iudicas iniustè. deinde cum dicit, Ecce nunc, qui dicitis hodie.] hic ponitur sextum eorum incommodum, & vitium, quod in illis est, qui proponunt sibi longa vitæ spacia, quod vitium est: sed potius est contrarium faciendum, & ratio talis est. Illi, qui volunt pacem habere in se ipsis, debent habere continuam meditationem mortis, & non propo nere sibi vitę longitudinem, & hoc de temporalibus indebite non curádo, quia omnia contemnit, qui semper cogitat, se esse moriturum; sed vos vul tis in vobis habere pacem: ergo non debetis proponere vobis vitæ longitu dinem, sed habere continué mortis meditationem. dicit ergo, Ecce nunc dicitis ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus.] per quæ arguitur temeritas, & præsumptio eorum. vnde, videtur sic dicendum. Primo, quia ponunt in eorum volun tate motum, cum dicunt ibimus, & tamen ignorant, an possint ad terminum itineris peruenire. secundo ponunt locum, cum dicunt in illam ciui-

4. Mentis illuminatio.

5. proximũ detractione non lædere.

6. Mortis meditatio.

tatem. tertio ponunt tempus, cum dicunt Faciemus ibi annum. quarto ponunt lucrum, cum dicunt Mercabimur, & lucrum faciemus. cum tamen ignorent finem omnium istorum, ac finem suę vitę. ideo sequitur, Qui tamen ignoratis, quid sit futurum, & quid superuentura pariat dies.] quę est vita vestra.] idest cuius durationis, nó ne breuis est? quia vapor est.] idest fumus ad modicum, idest parum duraturus, Et post exterminabitur, & deficiet.] hæc omnia dico vobis pro eo, vt dicatis in omni negotio, si Dominus voluerit, si vixerimus, faciemus sic, vel hoc, vel illud, & sic omnia sunt relinquenda, & disponenda prout Domino placuerit. deinde cum dicit, Nunc auté exultabitis in superbils vestris.] ponitur septima ratio, quæ talis est, Illi, qui volunt in se ipsis pacem habere, debent suos defectus recognoscere: sed vos dispersi, vultis in vobis pacem habere; ergo debetis vestros recognoscere defectus, & non de vestris uitijs, uel uirtutibus contra proximos uestros superbire. dicit ergo, Nunc autem, supple, uestræ diuitiæ, quas habetis, uel quas speratis habere, sunt causa uestræ műdanæ exultationis. ideo dicit, Nunc exultatis, in superbijs uestris.] idest gaudetis in diuitiis uestris, quæ faciunt uos superbos, contra proximos uestros: sed modò omnis exultatio talis maligna est, & noxia uobis, & aliis, & maximè uobis, quia scitis bonum, & non facitis illud. ideo subdit, scienti ergo bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.] scilicet si facultas adest, & ad eum pertineat. unde dicit glossa, Quòd scientes benefacere, & non facientes, maius peccatum habent, quàm si nescirent; quamuis ipsa boni ignorantia sit magnum peccatum, maximè si procedit ex malitia, uel negligentia, cum dicat Paulus Apostolus, Ignorans ignorabitur omnis. prima Corinth. cap. xiiii. quæ ignorantia maximè est culpabilis in clericis & prælatis.

7. Vitæ recognitio.

CAP. V.

Textus particula xi.



GITE nunc diuites, plorate, vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenięt vobis. Diuitiæ vestre putrefactæ sunt: Et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. aurű, & argentum vestrű æruginem traxit: & ærugo eorű in testimoniű vobis erit, & mãducabit carnes vestras, sicut ignis. thesaurizastis in nouissimis diebus. ecce merces operariorű, qui messuerűt

regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat: & clamor eorum, in aures Domini Sabaoth introiuit. Deliciati estis super terram, & in luxurijs enutristis corda vestra, vt in die occisionis. addixistis, & occidistis iustum, & non resistit vobis.

IN isto capitulo Apostolus inducit dispersos, & afflictos pro CHRISTI nomine, ad tribulationes fortiter sustinendas, ex diuitum pœnæ repromissione. ex quinq; enim pœnæ repromittuntur diuitibus. primò pro mala acquisitione. 2. pro putrefactione diuitiarum. 3. pro defraudatione mercedis. 4. pro delitiosa corporis nutritione. 5. pro filij Dei occisione, & primò intendit talem rationem, Illi debent plorare, & vlulare de pœna, quam expectant, qui malo modo, & iniquo, diuitias huius mundi acquirũt: sed tales sunt diuites auari: ergo debent plorare, & vlulare. ideo dicit, Agite nunc diuites.] scilicet operis satisfactione plorate, idest cordis cõtritione vlulate, idest mœstam, & flebilem vocem date in miserijs vestris, idest in pœnis, quæ miseros vos faciẽt, quæ euenient vobis, iusto Dei iudicio. deinde cum dicit, Diuitiæ vestræ putrefactę sunt.] hîc ostendit, quòd diuitibus debet esse pœna, pro diuitiarum putrefactione, tali ratione, Illis meritò debet esse pœna æterna, qui antequàm diuitias suas inter proximos dispẽsarẽt, eas putrefieri permiserũt: sed tales sunt diuites auari. ergo illis debetur ęterna pœna. dicit ergo Bene dico, quòd vos diuites debetis plorare, & vlulare pro vestris diuitijs, superfluè, malè cõgregatis, ac retentis, quia diuitię vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra a tinea comesta sunt: aurum, & argentum vestrum æruginauit.] & ęrugo eorum est superflua retentio, & conseruatio ipsorum erit vobis, idest contra vos in testimonium, & manducabit carnes vestras, sicut ignis.] idest meritò talium diuitiarum, quibus interim culpas vestras redimere potuistis, & ante iudiciũ vniuersale animas vestras, & post iudicium, ille ignis, cũ diuitijs vestris, carnes vestras simul comburet. deinde cũ dicit, Tesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.] hîc determinat de diuitum pœna pro fraude mercedis operariorum, tali ratione, Illi, qui mercedes pauperum defraudant, merentur indignationem Dei, qui est defensor pauperum, iuxta illud psalmi, Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor: sed diuites auari defraudant mercedem operariorum pauperum: ergo merentur Dei indignationem. dicit ergo, Vos diuites thesaurizatis vobis iram, idest ipsius Dei, in nouissimis diebus, idest in die iudicij, & causam assignat, quia Ecce merces operariorum vestrorũ, qui messuerunt regiones vestras.] idest qui fecerũt labores pro vobis, quæ quidem merces fraudata est a vobis, & fraudulenter retenta. ideo clamat, in persona ipsorum pauperum operariorum, & clamor eorum.] idest pauperum

Diuitibus repromittuntur pœnæ, ex v. Primo pro mala acquisitione.

2. Ex putrefactione diuitiarum.

3. Pro defraudatione mercedis.

perum in aures Domini sabaoth venit.] idest in conspectu Domini exercituum, & hoc dicit ad terrorem illorum, qui putant, pauperes non habere defensorem: sed Dominus omnium eorum causas intuetur, & tuetur. deinde cum dicit, Epulati estis super terrã.] hic ponitur 4. ratio, qua ostendit, quòd diuitibus debetur pœna, propter corporis delitiosam nutritionem, & est talis ratio, Illis meritò dabitur luctus, & afflictio æterna, qui, intemperato modo, se multiplicant in bonis temporalibus, & delitijs, quia Apocal. xviii. dicitur, Quanto magis fuit quis in delitijs, tanto magis dabitur de luctu, & tormento]. sed diuites auari multiplicant sibi temporalia, & delitias. ergo magis dabitur eis de tormento, quia delicatè epulantur quotidie, & vestiuntur purpura, & bisso. dicit ergo, vos diuites meritò pati debetis æternam pœnam, quia epulati estis super terram nimis delitiosè, & ex hoc in luxurijs vestris nutristis corda vestra, idest mentes, & intelligentias, & corpora, ac voluntates vestras, sine mensura; quia & epulæ sine mensura luxuriam nutriunt. deinde cum dicit, In diem occisionis, addixistis, & occidistis iustum.] ostendit, quòd ipsis Iudeis infidelibus, auaris, & diuitibus debetur æterna pœna, propter ipsius filij Dei occisionem, quæ fuit ab eis, propter auaritiam, procurata. conuertit igitur sermonem ad Iudeos infideleis, diuites, improperans illis mortem CHRISTI; vt sic eos ad fidem conuertat: & est ratio talis, Illis debetur æterna pœna, qui iniustè, ex auaritia, & sine causa, Dei filiũ occiderunt: sed tales fuerunt diuites auari, idest iudeorum infidelium principes, & maiores: ergo tales diuites, infideles iudei, auari meritò pati debent æternam pœnam. & hoc idem erit vobis dispersis, si auari fueritis. dicit ergo, Quia in die occisionis maximè vos infideles auari iudei addixistis.] supple Dei filium ad iudicium, & occidistis iustum.] idest occidi petistis coràm Pilato; ne diuitię, & regnum tollerentur a vobis: & ipse Dei filius tunc nõ restitit vobis; quòd oblatus est, quia ipse voluit, & resistere potuisset, si voluisset.

4. Propter corporis deliciosam nutritionẽ

5. Ob filij Dei occisionem.

Textus particula. xii.

PATIENTES igitur estote, fratres, vsq; ad aduentum Domini. ecce agricola expectat prætiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat pluuiam temporaneam, & serotinam. patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra, quoniam aduentus Domini appropinquauit. Nolite ingemiscere, fratres, alius aduersus alium, vt non iudicemini. Ecce, iudex ante ianuam assistit. exemplum accipite, fratres mei, laboris, & patientiæ, prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. ecce beatificamus eos, qui sustinent. sufferentiam Iob audi-

stis, & finem Domini vidistis, quòd valde misericors Dominus sit, & miserator. Ante omnia autem, fratres mei, nolite iurare, neq; per cælum, neq; per terram, neq; aliud quodcunq; iuramentum. sit autem vestrum est, est: non, non; vt non sub iudicio decidatis.

NVNC ex quatuor inducit dispersos, & afflictos pro CHRISTI nomine, ad longam tolerantiam passionum, scilicet ex similitudine præmij temporalis: ex æterni præmij magnitudine: ex sanctorũ prophetarũ laude, & beatitudine: ex æterni premij certitudine, & primò, cũ dicit, Patientes estote.] intendit talem rationem. præmiũ æternũ excedit incomparabiliter prę mium temporale: sed, expectantes præmium temporale, patienter tolerãt omnes tribulationes, quousq; præmium consequantur: ergo multo magis vos, expectantes præmium æternum, debetis substinere, quousq; illud recipiatis. hoc est ergo, quòd dicit, Patientes estote, scilicet ex exéplo CHRISTI, Fratres mei.] scilicet fide, non carne, estote, dico, patientes, scilicet in tribulationibus, vsq; ad aduentum Domini.] idest vsq; ad tempus remunerationis, quod erit in nouissimo die: & verè debetis sufferre patiéter, & expectare vsq; ad tempus præmij. & hoc monstrat per similitudinẽ fructus, vel præmij temporalis: quia ecce, agricola expectat fructum terræ, quam colit, tam patienter ferens labores, donec accipiat fructum terrę temporaneum, & serotinum: quanto magis vos debetis patienter, pro cœlesti fructu, laborare? Ideo subdit, Patiétes estote, & vos, supple, sicut agricola, & confirmate corda vestra, idest roborate vires vestras; etsi grauia inferuntur vobis, ac etiam ad maiora portandum pro CHRISTO, si inferantur; quoniam aduétus Domini appropinquauit, qui vos scilicet remunerabit, & omnibus malis finem dabit. deinde cũ dicit, Nolite igemiscere, fratres.] hic ponitur 2. ratio, quæ talis est, Illi debent ferre in patientia tribulationũ longam durationem, quorum tribulationes nihil sunt, respectu præmij, quod expectant ab ipso Deo, cuius amore patiuntur: sed vos dispersi, & afflicti, pro CHRISTI nomine, expectatis præmiũ tale ab ipso Deo: ergo debetis, per longam durationem, tribulationes substinere. dicit ergo sic, Nolite ingemiscere vos oppressi.] idest nolite intus in corde gemere, fratres in alterutrum: & hoc, quia videtis mutuas miserias fratrum, qui vltra merita patiũtur: nolite propter hoc murmurare in corde vestro, quasi existimantes, Deum malè iudicare, & exercere iniustè iudicium, sic tolerando; & hoc, vt non iudicemini, scilicet propter hoc. vel sic, Nolite ingemiscere, fratres mei, in alterutrum.] idest nolite vnus contra alium murmurare, diffidendo, credentes, vos maiora pati, quàm sint merita, quæ expectatis,

Quatuor nos monẽt ad tolerantiam passionum.
1. Similitudo præmij téporalis.

2. Aeterni regni magnitudo.

ctatis, idest præmia expectata: & hoc, vt non iudicemini.] idest nō damnemini propter murmurationem vestram: quia ecce iudex ante ianuā existit.] idest in proximo venturus est, qui iustè, & mensuratè malis pœnam, & bonis æternam gloriam largietur. deinde cum dicit, Exemplum accipite, fratres.] hîc ponitur 3. ratio, quæ talis est, Illius virtutis longam durationem habere debemus, pro cuius duratione beatificamus, & laudamus martyres, prophetas, & alios patres antiquos. sed, per longam durationē patientiæ, laudamus, & beatificamus antiquos patres veteris testamenti. ergo talem longam durationem tribulationum debemus sufferre. dicit ergo, Bene dico, quòd longanimiter debetis sufferre, & patientes esse in tribulationibus: &, vt hoc facilè faciatis, præter iam dicta, exemplū accipite prophetarum, & aliorum patrum veteris legis, qui locuti sunt in nomine Domini. Exemplum inquam accipite eorum mali exitus, idest malæ, & amaræ mortis illorum, & longanimitatis, idest longæ durationis laboris, & patientiæ ipsorum, propter quam longam durationem patientiæ, & laboris, idest quia patienter laborauerunt in tribulationibus. Ecce beatificamus, & laudamus illos, qui talia substinuerunt patienter.] & maximè laudamus ipsum Iob, qui patienter substinuit tribulationes. vnde dicit, Sufferentiam tribulationum ipsius Iob audistis.] scilicet in eius libro, ac etiam finem Domini vidistis, quoniā benignus, & misericors est & miserator.] pro nobis longanimiter patiendo, & dona gratiarū nobis exhibendo. & nota, quòd Apostolus dicit, Sufferentiam Iob audistis, non finem, de Domino autem dicit finem Domini vidistis.] ad notandum, quòd Iob patientiam non debemus imitari, propter finem, quia in fine fœlix fuit in temporalibus, quæ restituta sunt cum augumento; sed ipsum IESVM debemus imitari, propter finem, quia CHRISTVS, in fine mortis suæ, spiritualia dona suscepit, eò quòd, propter humilitatem, quam habuit in patiendo, Deus pater exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. debetis, inquam, istos imitari, vt dixi; sed hæc est alia causa sufferendi, quoniam misericors in natura, quasi dicat non solùm est iustus, vt bona tribuat, imò & est miserator, vt multo plura tribuat bona, quàm exigant nostra merita. deinde cum dicit, Ante autem omnia nolite iurare.] hîc ponitur quarta ratio, sumpta ex præmij certitudine, quæ talis est, Illi non debent iurare, qui, per certitudinem sperant habere æternum præmium, si, in longa patientia tribulationum, habuerint durationem; sed vos dispersi, debetis habere longam patientiam tribulationum: ergo non debetis iurare, ne periurium, & mendacium, per lapsum linguę, incurratis. dicit ergo, Ante omnia, fratres mei, fide, non carne, idest super omnia opera vestra, & negocia, in quibus cautelam habere debetis, nolite iurare, neq; per cœlum, idest per creaturam spiritualem, quòd in ea sit aliquid diuinitatis; neque per terram, idest

3. Laus, & beatitudo sanctorum prophetarum.

4. Præmii certitudo æterni.

idest per creaturam terrenā, & corporalem; similiter neq; per aliud quodcunq; iuramentum, vt puta per crucem, vel per euangelium: sed sit sermo vester est est, non non; vt non sub iudicio cadatis.] idest vt nō cadatis, propter periurium, in maius iudiciū, idest in maiorem damnationem. vbi nota, quòd iurare est Deum testem inuocare. Deus autem tripliciter inuocatur: in se ipso, cum iuratur per Deum: vel in beneficijs receptis, quando iuratur per crucem, vel per euangelium: vel inuocatur Deus ex vi creationis in ipsis creaturis, quando iuratur per creaturas, vt per cœlum, & terram. & cum videatur Apostolus simpliciter prohibere ipsum iurare, dic, quòd non simpliciter prohibet iurare: etiam si dicat, Ante omnia nolite iurare.] quia hoc intendit, quòd per creaturas nullo modo iurādum sit, scilicet vt, in eis, credamus, aliquid esse posse diuinitatis. possumus tamē dicere, quòd omne iuramentum absolutè prohibetur. quod absolutè non fit propter necessitatem, vel propter honestam vtilitatem. Iurare qd. Tribus modis iuramus, inuocātes Deū. Iurare nō prohibetur simpliciter.

TRISTATUR aliquis vestrum? oret. æquo animo est aliquis? psallat. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei. Confitemini inuicem peccata, & orate pro vobis inuicem, vt sanemini. MULTUM enim valet deprecatio iusti assidua. Helias erat homo similis nobis, passibilis, & oratione orauit, vt non plueret super terram, & non pluuit, annos tres, & menses sex. Et rursum orauit, & cœlū dedit pluuiā, & terra dedit fructū suū. Fratres mei, si quis ex vobis errauerit a veritate, & conuerterit quis eū, scire debet, quòd, qui cōuerti fecerit peccatorē ab errore viæ suæ, saluabit animam a morte, & operiet multitudinem peccatorū. Textus particula. 13.

APOSTOLVS pluribus modis nisus est consolari dispersos, & afflictos pro CHRISTI nomine, vt patienter ferant, & non conturbentur, nec iurent. nunc autem dat remedia contra vehementiam tribulationum, quinq; rationibus. primò consolatur mœstos per orationem. 2. consolatur infirmos per vnctionem. 3. consolatur peccatores per veram confessionem. 4. consolatur odientes, per mutuam dilectionem. 5. consolatur pigros ad fraternam correptionem: & in prima parte intendit talem rationē. Quicunq; sunt in tristitia positi, debent illam a se remouere, Afflictos & aduersis rebus cōsolatur, quibus que remedijs.

1. Consolatur mæstos, per orationem. per orationis deuotionem; sed vos dispersi, estis in tristitia positi; ergo debetis illam a vobis remouere, per deuotionem orationis. dicit ergo, Non solùm in tribulationibus debetis longè sufferre, & non turbari; sed si tristatur quis.] scilicet per iniuriæ illationem, vel, propter rerum temporalium amissionem, vel, alia de causa, quis vestrum tristatur, seu conturbatur: tunc oret.] puro corde, & æquo animo, idest humiliter, & psallat ore, Dei laudes, quasi dicat, oret, non murmuret, nec iusta Dei iudicia vituperet, quasi Deum arguens, quòd huiusmodi mala immittat, vel permittat: sed ad Ecclesiam flexis genibus currat, vt Deus patientiam, & cósolationem immittat, sua tantùm gratia. deinde, cum dicit, Infirmatur quis in vobis.] hîc ponit remedium contra vehementiam infirmitatis. cósolatur enim infirmos, per spiritualem vnctionem, tali ratione, Quicunq; infirmantur debent illam medicinam assumere, per quam consequantur spiritualis infirmitatis curationem, & ex consequenti infirmitatis, & pœnæ corporalis alleuiationem. sed talis est medicina olei sancti: ergo, qui infirmantur in vobis, debent illam sumere medicinam. dicit ergo, Infirmatur quis, idest aliquis in vobis, aliqua infirmitate corporali? inducat vel induci faciat presbyteros, idest seniores, vel maiores, vel sanctiores sacerdotes, vt orent super eum, vngentes eum oleo sancto, idest sanctificato, vel cósecrato, in nomine Domini nostri: & tunc oratio fidei, idest cum pura, & vera fide facta, scilicet ipsius recipientis vnctionem, saluabit ipsum infirmum ab infirmitate spirituali, si in ea fortè fuerit detentus, & etiam alleuiabit eum Dominus, scilicet ab infirmitate corporali, si expediens fuerit, etiamsi in peccatis fuerit, de quibus per obliuionem non egit pœnitentiam, remittentur ei, si, eum mori, contigerit. deinde, cum dicit, Confitemini alterutrum peccata vestra.] hîc consolatur peccatores, per simplicem, & puram confessionem, tali ratione, Quicunq; sunt tribulati, & afflicti, ex grauedine peccatorum, debent illam tribulationem a se remouere, per peccatorum contritionem, & puram confessionem: sed vos dispersi, estis tales, scilicet afflicti propter peccata vestra: ergo debetis illa deponere, per confessionem. dicit ergo, quia dixerat, quòd infirmum sacra vnctione alleuiabit Dominus, & etiam si in peccatis fuerit, remittentur ei: verum est, secúdùm glossam, quòd peccata non possunt remitti sine confessione, & emendatione, quando in memoria habentur, & tempus adest. ideo propter ista dixit, Confitemini alterutrum, quia ista, quæ in memoria habentur, sine confessione non dimittuntur, per illam vnctionem. Beda distinguit inter mortalia, & venialia, & distinguit inter confessionem venialium, & mortalium. & quòd coequalibus peccata venialia confiteamur: grauia verò soli sacerdoti. deinde cũ dicit, Et orate pro vobis inuicem.] hîc consolatur odientes, tali ratione, Illi, qui habent odium, vel rancorem fraternum, debent odium illud, vel rancorem

2. Infirmos per unctionem spiritualem.

3. Peccatores, per puram, & simplicem confessionem.

4. Consolatur odientes, per mu

corem a se repellere, per mutuam dilectionem, Charitatem, & orationem: sed vos, qui dispersi estis, si habetis odium, remouere illud debetis, per charitatem, & dilectionem, & orationem. dicit ergo, Non solùm confitemini alterutrum peccata vestra, sed etiam orate pro vobis inuicem, vt saluemini, quia multùm valet deprecatio iusti assidua, quia non petit nisi pia, & ad salutem. quod probat per exemplum, quia Helias erat homo similis nobis, passibilis, sensibilis, terrenus, & corruptibilis, ac fragilis, quia nondum raptus erat in Paradisum delitiarum, & oratione orauit, idest piè, & pio corde. ad commouendam superbiam Achab regis. ad regis, dico, idolatrę duritiem commouendam, orauit, vt non plueret super terram, & non pluuit annos tres, & menses sex. & rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suũ. deinde cum dicit, Fratres mei, si quis ex vobis.] consolatur, & hortatur pigros, & timidos ad fraternam correptionem, & est ratio talis, Quicunq; pigritiam, & timorem habet, in reducẽdo fratres suos ad viam veritatis, debet talem pigritiam, & timorem remouere a se: sed vos dispersi, si habetis pigritiam, & timorem talem, illam pigritiam debetis remouere a vobis. dicit ergo, fratres mei, Charitate, non carne, si quis errauerit a veritate fidei, & morum, & conuerterit quis eum a tali errore, bene monendo, & reduxerit illum ad viam veritatis, fidei, & salutis; scire debet talis, & pro constanti tenere, quòd, qui conuertit peccatorem ab errore viæ suæ peruersæ, idest peccatorum suorum; talis saluabit animam eius a morte, idest liberabit animam eius a peccato, quod est mors animæ, & compassio illius charitatis, qua pro ipso impetrauit conuersionem, operit multitudinem peccatorum, pallio charitatis, qua monuit, & orauit: quoniam VNIVERSA delicta operit charitas, non tantùm illius, qui corripitur; sed etiam illius, qui peccatorem ab errore conuertit, ex charitate.

[margin: tuam dilectionem.]

[margin: Quantum ualeat assidua iusti deprecatio, & quantæ sit efficaciæ.]

[margin: 5. Consolatur pigros ad fraternã correptionem.]

FINIS.

HIERONYMUS IN CATALOGO SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM.



IMON PETRUS filius Ionæ, prouinciæ Galileæ, vico Bethsaida, frater Andreæ Apostoli, & princeps Apostolorum, post episcopatum Antiochensis ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de circuncisione crediderant, in Ponto, Galatia, Capadocia, Asia, & Bithynia, secundo Claudij anno, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibiq; vigintiquinq; annis, cathedram sacerdotalem tenuit, vsq; ad vltimum annum Neronis, idest, decimum quartum. A quo, & affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso, & in sublime pedibus eleuatis, asserens, se indignum, vt sic crucifigeretur, vt Dominus suus. Scripsit duas epistolas, quæ catholicæ nominantur, quarum secunda, a plerisq; eius esse, negatur, propter styli cum priore dissonantiam. Sed, & Euangelium iuxta Marcum, qui auditor eius, & interpres fuit, huius dicitur. Libri autem eius, e quibus vnus actorum eius inscribitur, alius Euangelij, tertius prædicationis, quartus Apocalypsis, quintus Iudicij, inter apocryphas scripturas reputantur. sepultus Romæ in Vaticano iuxta viam triumphalē: totius vrbis veneratione celebratur.

R. P. MAGISTRI GREGORII PRIMATICII SENENSIS. ORDINIS PRAEDICATORVM.

In Epiſtolam beati Petri Apoſtoli primam, Commentarius.

EPISTOLAE ARGVMENTVM.

DISCIPVLOS Saluatoris inuicti, toto orbe diffuſos, & peregrinos in hoc ſæculo monſtrat: & præteritæ vitæ pœnitere ſuadet, & in nouam vitam proficere, tota cum ſolicitudine, exhortatur Simon Petrus filius Ionæ prouinciæ Galileæ, è vico Bethſaida, frater Andreæ Apoſtoli.

EPISTOLAE CAP. I.

PETRVS Apoſtolus IESV CHRISTI electis aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Capadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ, ſecundùm præſcientiam DEI patris, in ſanctificationem ſpiritus, in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis IESV CHRISTI: gratia vobis, & pax multiplicetur. Benedictus DEVS, & pater Domini noſtri IESV CHRISTI, QVI ſecundùm miſericordiam ſuam magnam, regenerauit nos in ſpem viuam, per reſurrectionem IESV CHRISTI ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſsibilem, conſeruatam in cælis in vos, qui, virtute DEI, cuſtodimini, per fidem, in ſalutem, paratam reuelari in tempore nouiſsimo, in quo exultabitis. Textus particula. 1.

EXPOSITIO.

PRO intelligentia huius epistolæ Beati Petri, est sciendum, quòd quidam, in principio nascentis Ecclesiæ, ante CHRISTI pasionem, de gentilitate transierunt, primò ad Iudaismum, deinde, crescente Ecclesia Christianorum, per prædicationem Apostolorum, multi eorum conuersi sunt ad fidem CHRISTI, qui postea, tempore persecutionis factæ, tẽpore mortis Beati Stephani, dispersi sunt in diuersas prouincias Græcorum, & ,quia, pro fide CHRISTI, sic erant dispersi; ideo Beatus Petrus misit eis epistolas duas, in quarum vna hortatur eos ad persistendum in gratiæ bonitate, ne succumbant per aduersitatem tribulationum. In secunda hortatur eos ad persistendum in fidei veritate, ne conuertantur ad falsam doctrinam hæreticorum pseudo prædicantium: & hæc prima tres habet parteis. in prima ponitur salutatio, in secunda ponitur narratio, ibi Benedictus DEVS, in tertia ponitur missio ipsius epistolæ. In oratione exprimitur affectus ipsius mittentis, & salutantis ad personam salutatam, & redditur fide digna ipsa persona salutans, vt melius ei credatur. In hac oratione, siue salutatione, Apostolus tria tangit. primo redditur fide digna persona salutans, & persona mittens. 2. disponitur ad gaudium persona salutata, & recipiens. 3. ponitur responsio, confirmans salutationem. & primo intẽdit talem rationem, Illa persona est fide digna, quę habet authoritatem, dignitatem, & infallibilitatem; sed persona, quæ mittit hanc epistolam, habet authoritatem, dignitatẽ, & infallibilitatem. patet, quia hoc nomen PETRVS, qui mittit epistolã, est nomen celebre, eo quòd * Petrus, secundùm glossam, dicitur a petra. petra autem est CHRISTVS, quasi dicat, Tu es Petrus, idest stabilis, & firmus, & super hanc firmitatem fidei IESV CHRISTI, DEI, & hominis, fundata est Ecclesia. & hinc apparet dignitas. in quantum verò erat Apostolus, notatur authoritas, quia Apostolus dicitur Missus. prout verò est IESV CHRISTI, notatur infallibilis veritas. igitur persona Petri, mittentis hanc epistolam, est fide digna. dicit ergo Petrus.] ecce dignitas firmitatis. Apostolus.] ecce authoritas. IESV CHRISTI.] ecce infallibilitas veritatis. deinde cum dicit, Electis aduenis.] hîc disponit ad lætitiam personas recipientes hanc epistolã. Illi autem fuêre de populo gentili, qui prius venerunt ad Iudaismum, & de Iudaismo ad fidem CHRISTI, qui poterant multipliciter gaudere de huiusmodi epistola, sibi missa, tali ratione, Illi meritò debent gaudere de epistola, sibi missa, in qua ponitur eorum a DEO electio, eorum pro CHRISTI fide dispersio, & eorum ab inuicem separatio. talis est hæc epistola. ergo de ipsa est gaudendum. dicit ergo. Electis aduenis.] scilicet scribit: Electis.] scilicet gentilibus, ad fidẽ CHRISTI conuersis. ecce eorum a DEO electio. dispersis.] scribit, ecce eorũ dispersio

epistolę primæ 3. partes.
Salutatio. Narratio. & Missio.
Salutatio tria cõtinet 1. Redditur fide digna persona salutans.
2. Disponitur ad gaudium persona salutata
3. Ponitur responsio, confirmans salutationẽ
* Petrus unde.
Petri dignitas.
Petri authoritas.
Petri ueritas infallibilis.
Personæ recipiẽtes disponuntur ad lætitiam

pro fide

pro fide CHRISTI, dispersis, inquàm, Ponti, Galatiæ, Capadociæ, Asię, & Bithyniæ.] ecce eorum ab inuicem separatio. omnes hæ prouinciæ sūt Græcorum, per quas dispersi erant isti, qui pro CHRISTI fide patiebātur. deinde cum dicit, Secundum præscientiam DEI patris.] ponit firmitatem vocationis eorum, tali ratione, Illorum vocatio est firma, & certa, quæ roboratur per Patris prædestinationem, per spiritus sancti sanctificationem, & per Filij redemptionem, & per æternę gloriæ adeptionem. sed modò hæc quatuor habet electio istorum dispersorum pro CHRISTI nomine. ergo illorum vocatio est firma, & certa. dicit ergo, mittitur hæc epistola electis per præscientiam DEI Patris.] ecce Patris prædestinatio, qua suos electos ordinat in vitam æternam. Deinde mittitur electis in sanctificationem spiritus.] quo electi purgantur. deinde mittitur electis in obedientiā, & in aspersionem sāguinis IESV CHRISTI.] quo redempti sumus. istis sic electis epistola mittitur, & dicit, Gratia vobis.] idest peccatorū remissio, & ad DEVM reconciliatio, & Pax sit vobis.] idest mentis, & conscientiæ tranquillitas, vel gratia vobis, & pax multiplicetur.] idest gratia sit vobis in præsenti, & multiplicetur in futuro. deinde cū dicit, Benedictus DEVS, & Pater Domini nostri IESV CHRISTI.] hîc ponitur narratio ipsius epistolæ, & hortatur illos gentiles dispersos, pro fide CHRISTI, vt persistant in gratiæ bonitate, & ne succumbant, per aduersitates tribulationum, tali ratione, per recognitionem beneficiorum sic, Illi, vos debetis gratias agere, & in eius gratia permanere, per cuius potentiam, clementiam, & sapientiam, regenerati estis in spem viuam, idest ad vitam spiritualem habēdam; sed talis, qui vos sic regenerauit, est DEVS, qui habet immensam potentiā, clementiam, & sapientiam: ergo in eius fide est permanendum, & illi gratiæ sunt agendæ de tanto beneficio. dicit ergo Benedictus DEVS] supple, qui est creator omnium, in quo verbo notatur essentiæ diuinæ vnitas, quia vnus tantùm DEVS, & Pater.] ecce exprimitur prima persona Trinitatis, scilicet ipsius, qui a nullo est, patris. Domini nostri.] scilicet ipsius nobis donati, per incarnationis mysterium filij, in cuius femore scriptū est, Rex regum, & Dominus dominantium. IESV CHRISTI.] idest per spiritum sanctū sanctificati, & concepti, in quo habetur tertia persona in Trinitate, qui DEVS supple, pater, DEVS filius, & Deus spiritus sāctus, qui sunt vnus DEVS, regenerauit nos.] idest iterum nos genuit, in spem viuā.] qui iam mortui eramus, idest in vitam æternā, quæ facit nos in vna spe sperare idest in vna re sperata sperare, hoc est in vitam æternam, post resurrectionem. ideo dicit, & hoc scilicet speramus per resurrectionem IESV CHRISTI ex mortuis.] quia sua resurrectio est causa nostrę resurrectionis, quia si CHRISTVS resurrexit, qui est caput nostrum, & nos resurgemus, qui sumus eius membra, quia caput sine membris resurgere non potest. deinde cum dicit.

Ponitur firmitas uocationis.

Quæ certā ostendūt salutem, 4. Patris prędestinatio. Spir. sancti sāctificatio Filij redemptio. Aeternę gloriæ adeptio

Narratio epistolæ.

Hortatio ad persistendū in fide, per beneficiorū recognitionem.

Tria Deus habet, potētiam, clemētiam, sapiētiam.

Quomodo speramus uitam æternam, per Christum.

In ha-

Vitæ æternæ sublimitas, per quatuor, satietatem, incorruptibilitatem, immarcescibilitatem, securitatem.

In hæreditatem incorruptibilem.] ponitur istius doni sublimitas, tali ratione, Illud donum est excellens, & sublime, quod habet satietatem, incorruptibilitatem, immarcesibilitatem, & securitatem: sed tale donum, habens hęc omnia, est vita æterna. ergo vita ęterna est donum sublime, cuius vos gentiles dispersi, propter nomen CHRISTI, estis facti participes, per resurrectionem CHRISTI IESV. ideo dicit regenerati estis.] idest, spirituali generatione iterum nati, scilicet per resurrectionem IESV CHRISTI, in spem viuam, facientem vos sperare in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcesibilem, conseruatam in cœlis, & non in terris, vbi nil est permanens. deinde cum dicit, In vos, qui in veritate DEI custodimini per fidem.] hic ponitur infirmitas, & impotentia ipsorum recipientium huiusmodi donum, tali ratione, Illi debetis gratias, per quem, vel in quo habetis gratiæ vobis collatæ custodiam, & vires ad conseruationem virtutum, ac etiam de inimicis vestris exultationem: sed vos dispersi gentiles habetis huiusmodi dona ab ipso DEO. ergo ipsi DEO debetis, de huiusmodi donis, gratias agere. dicit ergo vita æterna est vobis cõseruata, vobis, dico, impotẽtibus ex vobis. vobis, inquam, qui custodimini per fidẽ, & hoc in salutẽ.] idest in æternã gloriam, paratam reuelari vobis, hoc est ad recipiendum, idest vt illam recipiatis, in nouissimo, idest iudicij magni die, in quo die exultabitis de inimicis vestris spiritualibus, & corporalibus, sicut triumphatores, & victores, quando diuidunt spolia inimicorum.

Imbecillitas recipiẽtium.

Textus particula 2.

MODICUM nunc, si oportet contristari in varijs tentationibus, UT PRObatio vestræ fidei, multò prætiosior auro (quod perit, & tamen per ignem probatur) inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem in reuelatione IESU CHRISTI, quem, cum non videatis, diligitis in quem nunc non videntes: credentes tamen exultatis lætitia inenarrabili, & glorificata, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum, de qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt, scrutantes in quod, vel quale tempus significaret, qui in eis erat spiritus CHRISTI prænuntians eas, quæ in CHRISTO fuerunt passiones, & posteriores glorias, quibus reuelatum est, quod non sibimet ipsis, sed vobis ministrabant ea, quæ nunc nuntiata sũt vobis per eos, qui euangelizauerunt vobis in spiritu sancto, misso

de

de cœlo, in quæ desiderant angeli prospicere. propter quod, succincti lumbos mentis vestræ, sobrij perfectè sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in reuelatione IESU CHRISTI, UT FILII obedientiæ non configurati prioribus ignorātiæ vestræ desideriis; sed, quemadmodum qui vocauit vos sanctus est, ita, & ipsi in omni conuersatione sancti sitis, quoniam scriptum est, Sancti eritis, quoniā ego sanctus sum. Et si patrē inuocatis eū, QUI, SINE acceptione personarū, iudicat, secūdum vniuscuiusq; opus, in timore incolatus vestri tempore conuersamini.

NVNC inducit istos dispersos ad remotionem ingratitudinis, & ad diuinorum beneficiorum recognitioné, ex quatuor. primò ex laboris abreuiatione & præmij magnitudine. 2. ex eorum fidei probatione. 3. ex ipsorum probationis remuneratione. 4. ex remunerationis certificatione: & primò probat tolerantiam, ex breui labore, nec non ratione gaudij, & lætitiæ, quæ promittitur eis in æterna vita, & intendit talem rationem, Illi, debetis gratias agere, & in eius gratia remanere, qui facit, vos modicūm laborare, respectu præmij, quod vobis daturus est. sed talis est ipse Deus, qui facit vos modicum laborare. ergo ei debetis gratias agere. dicit ergo, Benè dico, quòd vos in tempore nouissimo exultabitis, si.] idest quamuis oportet vos nunc, idest in præsenti modicûm contristari in variis tentationibus, idest tribulationibus, tam interioribus, quàm exterioribus, quæ ratione breuitatis temporis, & præmij promissi magnitudine, non debent nos multûm contristare. deinde cum dicit, Vt probatio fidei vestræ multò pretiosior sit auro.] hîc ponitur eorum fidei probatio, tali ratione, Illi gratias agere debètis, & eius recognoscere beneficia, cui magis placet probatio fidei vestræ, quàm alicui artifici aurum placeat materiale. sed modò talis est DEVS; quia ipsi magis placet probatio fidei vestræ, quàm alicui artifici aurum materiale: ergo ipsi DEO debetis gratias agere, & eius beneficia recognoscere. dicit ergo, Benè dico, quòd debetis modicum contristari in variis tentationibus, & hoc, vt tentatio, & tribulatio vestra, quæ est probatio vestræ fidei multò prætiosior fit auro, idest prætiosior appareat auro, quod per ignem probatur, an sit perfectum, sic homines tribulationibus probantur, an sint perfecti, & fideles. deinde cum dicit, Inueniatur in laudem.] hîc ponitur remuneratio eorum probationis, sic, Illi debetis gratias agere, & eius beneficia recognoscere, qui probationem vestræ fidei in iudicio remunerãbit, omni laude, gloria, & honore: sed modò talis est DEVS, qui remunerabit pro-

Exhortatio ad ingratitudinem remouēdam, ex 4.

1. Ex laboris abbreuiatione, & ex magnitudine præmij.

2. Ex probatione fidei.

3. Ex probationis remuneratione.

Dominus tria nobis, in iudicio præstabit, honorificás fidei nostræ probationē 1. Nos laudabit. 2. Glorificabit. 3. Honorificabit. 4. Adhortatur, ex certitudine remunerationis.

bationem fidei vestræ. ergo ipsi DEO debetis gratias agere. ideo dicit, Benè dico, quòd probatio fidei vestrę, est auro prætiosior, quia in reuelatione IESV CHRISTI.] idest in die iudicij inuenietur in laudem, gloriam, & honorem. & nota, quòd CHRISTVS in resurrectione laudabit, glorificabit, & honorificabit probationem fidei nostrę, quæ facta est hîc per tribulationes. nam laudabit, approbando eorum opera, cum dicet Esuriui, & dedistis mihi manducare. glorificabit illos in eorum receptione, cū dicet, Venite benedicti Patris mei. honorificabit in depressione inimicorum illorum, cum dicet illis, Ite maledicti. deinde cum dicit, Quæ, cum non videritis, diligitis.] hîc ponitur illius remunerationis notificatio, tali ratione, Illi, debetis agere gratias, & in eius gratia permanere, qui facit, vos cum diligere, per dilectionis Charitatem, facit vos in eum credere per fidei credulitatem, & facit vos in eum gaudere, per lætitiæ immensitatem: sed talis est DEVS, qui talia operatur in vobis. ergo illi gratias agere debetis. ideo dicit, In reuelatione IESV CHRISTI, probatio fidei vestræ inuenietur in laudem CHRISTI.] quem, scilicet CHRISTVM, cum non videritis.] scilicet modò corporaliter. tamen cum diligitis Charitate spiritualiter, in quem, scilicet CHRISTVM etiam nunc non videtes creditis, per fidei credulitatem, & credentes, supple, eum remuneratorem vestrorum operum, exultabitis, scilicet in vestra remuneratione, lætitia inenarrabili, & glorificata, idest cōsummata, & perfecta, reportantes tunc finem, idest complementum fidei vestrę, scilicet salutem animarum vestrarum, & verè inenarrabilis erit illa lætitia æternæ vitę, quoad multa. primò erit ibi oris exultatio, Exultationes DEI in gutture eorum. secundò erit cordis iubilatio, quia lætabuntur in cubilibus suis, idest in cordibus suis. tertiò erit corporis, & animæ glorificatio cum dotibus suis: & Animæ dotes sunt Visio, Dilectio, & Comprehensio. dotes verò corporis sunt Impassibilitas, Subtilitas, Agilitas, & Claritas. deinde cum dicit, De qua salute.] * hîc inducūtur hi gentiles cōuersi, & dispersi pro CHRISTI nomine ad recognitionem diuinorum beneficiorum, ex salutis ipsorum aperta visione, & excellentia, tali ratione, In primis illa salus est multum amanda, & pro magno beneficio recognoscenda, de qua exquisierunt, & vaticinati sunt prophetæ: sed talis salus est CHRISTI incarnatio, de qua prophetæ prophetauerunt. ergo est amanda, & pro magno beneficio recognoscenda. continua sic literam. Dictum est, quòd CHRISTVS est finis nostræ fidei, & salus animarum nostrarum, de qua salute, idest de quo CHRISTO incarnato, pro nostra salute, exquisierunt, & scrutati sunt prophetæ, qui de futura gratia, scilicet incarnationis filij DEI, facienda in nobis, prophetauerunt, scrutantes, quod tempus, vel quale significaret in eis spiritus CHRISTI, idest spiritus quem, decebat CHRISTI incarnationem annunciare. spiritus, inquam, angeli eius eas prænunciauit,

Magnitudo lætitiæ de uita æterna triplex. 1. Oris exultatio. 2. Cordis iubilatio. 3. Corp. & animæ glorificatio. Dotes animæ, uisio, dilectio, cōprehensio. Dotes corporis, impassibilitas subtilitas, agilitas, & claritas. * Inductio ad recognitionem di-

nunciauit, quæ in CHRISTO sunt, & posteriores glorias, supple, quas habuit post passionem. vbi nota, quòd prophetæ multa desiderabant scire, prophetizando, de CHRISTI incarnatione. primum, quo tempore, quo anno, quo die talis incarnatio fieri deberet. 2. temporis qualitatem, vtrū bellicosum, vel pacificū. 3. sub quo Principe, Domino, vel Rege. 4 an esset futura, atq; facienda per virgineū partū, vel alio modo. 5. per quē nuntiū, an per Angelū, vel Archangelū, qui sunt DEI operatores, annunciaretur CHRISTI incarnatio. 6. posteriorē Christi glorificationē. nam, post passionē, CHRISTVS habuit tres glorias, quarū vnam habuit, quando a mortuis resurrexit, aliam habuit, quando cœlos ascendit, aliam habebit in fine mūdi in conspectum omnium, cum venerit in maiestate. omnia autē ista, quæ prophetæ desiderabant de CHRISTO scire, circa CHRISTI incarnationē, tangit Apostolus in litera, etsi obscurè, & occultè. deinde cum dicit, Quibus reuelatum est.] * nunc ponitur prædictæ incarnationis reuelatio ipsis gentilibus facta, tali ratione, Salus illa est multùm amanda ab illis, quibus inprimis est reuelata, & ab alijs desiderata, & non obtenta: sed talis est CHRISTI incarnatio, quæ vobis gentilibus est reuelata, & ab alijs fuit desiderata, & non visa, vt puta a Prophetis, & Patriarchis. ergo a vobis est multùm amanda; ideo dicit, & verum est, quòd Prophetæ scrutati sunt de CHRISTI incarnatione, quibus, scilicet prophetis reuelatum est, scilicet istud; quia non sibi ipsis sed vobis gentilibus manifestabant ea, idest prophetabant mysteria incarnationis, & redemptionis, quæ nunc nuntiata sūt vobis, idest præcipuè, vel præsentialiter per eos, scilicet prophetas, vel per eos tam præclaros viros, scilicet Apostolos, qui euangelizarunt vobis nō mendosè, non fantasticè, sed clarè per Spiritum sanctum, de Cœlo missū, inspirantem, locuti sunt de CHRISTO incarnato, in quem, scilicet CHRISTVM nuntiatum, & reuelatum, desiderabant Angeli prospicere. primo expone sic, vt dicit glossa, quòd tanta est gloria humanitatis CHRISTI, vt etiam Angelicæ virtutes in cœlo, cum sint æterna fœlicitate beatæ, non solùm deitatis immortalis magnificentiam, verùm etiam assumptę humanitatis eius claritatem, gaudent, semper aspicere, vel sit sermo de ipsa Trinitate, vel Deitate, dicit, quòd contemplatio diuinæ Præscientię, vel summę Deitatis in ipsis angelis, illos beatos facit, ita vt eius visa gloria, & diuinitate satientur, & semper eius dulcedinem, quasi nouam, exuriant, vel sit sermo de spiritu sancto dicit glossa, quòd tantæ maiestatis, & gloriæ est ipse spiritus sanctus, vt semper eius visio, sicut, & ipsius Patris, & Filij, desideretur ab Angelo, vel Angeli prospicere in eum desiderant. dico, quòd illud Angelorum desiderium non excludit rem desideratam, tanquàm non habitā; sed tantùm fastidium excludit, quia, etiamsi continuè possideatur, non tamen parit fastidium, vt fortè alia faciunt. vel dicuntur Angeli desiderare

uinorū beneficiorū, ex aperta uisione, & excellentia salutis.

Prophetæ plura scire desiderabāt circa mysterium incarnationis, & præcipuè sex.

1. Tempus certum.
2. temporis qualitatē.
3. Imperiū, sub quo.
4. Modum.
5. Nunciū.
6. Posteriorem Christi glorificationem.

gloria Christi triplex.

* Salus per Christum debet amari.

Quo nam modo Angeli uisionē Dei dicantur desiderare.

Dei visionem, quò ad nouas reuelationes, quas a Deo recipiunt, pro temporum oportunitate. deinde cum dicit, Propter quod, succincti lumbos.] nunc ex multis inducit dispersos ad perseuerantiam in gratia, eis reuelata, & salute, Sic illa in gratia debetis perseuerare, quæ liberè offertur, vobis promissa, & reuelata, vt scilicet, illum, quem Angeli desiderant, prospicere valeatis. ideo magis, ac magis debetis curare, vt eam percipere valeatis. ideo propter hoc, succinti, quasi dicat, succingite lumbos vestros, scilicet mentis vestræ, idest sitis sobrij, & perfecti, & sic sperate in eam, quæ vobis offertur, gratiam, scilicet in reuelatione IESV CHRISTI ad iudiciũ. dicit ergo, debetis esse succinti lumbos mentis vestræ, per carnis maceratio nem. debetis esse sobrij per cibi, & potus moderationem. debetis esse perfecti per fidei integritatem, & debetis sperare in eam, quæ vobis offertur, gratiam, per spei constantiam, in reuelatione IESV CHRISTI. deinde cum dicit, Vt filij obedientię.] ponitur secunda ratio, quæ sumitur ex eorum status præteriti cæcitate, quæ talis est, Illi debent perseuerare in gratia, eis reuelata, qui sunt vocati de statu ignorantiæ, & vanis desideriis, ad statum gratię libertatis: sed vos gentiles dispersi, estis sic vocati; ergo debetis perseuerare in gratia, vobis reuelata, libertatis. Ideo benè dico, quòd debetis permanere in gratia, quæ vobis offertur, in qua, supple, debetis permanere, & perseuerare, quasi filij obedientiæ, non configurati prioris ignorantię vestræ.] idest non reuertentes ad pristina desideria vestrę ignorantiæ, & cæcitatis, vt canes ad vomitum, quia in eis tunc erat cęcitas ignorantiæ legis naturalis scriptę, & euangelicæ. deinde cum dicit, Sed secundũm eũ, qui vocauit vos.] ponitur tertia ratio, sumpta ex vocantis sanctitate, In illius gratia debetis perseuerare, qui vocauit vos ad sanctitatem: sed talis est ipse CHRISTVS, qui vos ad sanctitatem vocauit. ergo in illius gratia debetis permanere. ideo dicit, Bene dico, quòd non debetis perseuerare, neq; viuere in desiderijs vestris, & vestræ ignorantię, sed viuere debetis secundũm eum, qui vos vocauit ad sanctitatem, vt & ipsi, supple, sancti sitis in omni conuersatione vestra, & hoc debetis maximè facere exemplo Dei, quoniam scriptũ est Leuit. xix. Sancti estote, quoniam sanctus sum. deinde cum dicit, Et si Patrem inuocamus eum.] hîc ponitur quarta ratio ex vocantis pietate, In illius timore, & amore debetis perseuerare, quandiu cõuersamini in ista vita, quem vos vocatis pium Patrem, eò quòd, sine personarum acceptione, ipse adoptat nos in filios: sed talis est DEVS, qui nos, & vos adoptat gratis in filios: ergo in illius amore, & timore debetis perseuerare. ideo dicit, Quòd, si Patrem vocamus eum, qui sine personarum acceptione, iudicat, secũdũm opus vniuscuiusq;, in timore incolatus vestri.] idest in timore semper dicti vestri patris conuersari in vita ista, quę est incolatus, & peregrinatio quædam, ne, scilicet per negligentiam, & desideria vana,

Inducuntur dispersi ad perseuerantiam in gratia, ex quatuor.
1. Ex sobrietate mẽtis.

2. Ex cæcitate status præteriti.

3. Ex uocãtis sanctitate.

4. Ex pietate uocantis

vana, tanto Patre sitis indigni, & vt, tempore exilij vestri, idest quando exibitis ex hoc sæculo, securi sitis ad patriā beatitudinis peruenire. & verè nobis semper expedit, in hac vita, semper viuere cum timore: primò, quia nescimus, an amore, vel odio digni simus. 2. propter promptitudinem, & facilitatem ad malum. 3. propter mortis incertitudinē, quia nescimus, qua hora Dominus noster sit venturus, vt reddamus rationem nostræ villicationis.

Viuendum cum timore, propter tria. 1. Status ignorātiā. 2. Promptitudinē ad malum. 3. Mortis incertitudinem.

Textus particula 3.

SCIENTES, quòd non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, tanquā agni immaculati CHRISTI, & incontaminati, præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem, nouissimis temporibus, propter vos, qui, per ipsum, creditis in DEVM, qui suscitauit eum a mortuis, & dedit ei gloriam, vt fides vestra, & spes esset in DEVM, qui animas vestras castigastis in obedientiam veritatis, per spiritum, in fraternitatis amore nō simulato: simplici ex corde inuicem diligite intensè, RENATI non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum DEI viui, & permanentis in æternum. quia OMNIS caro, vt fœnum, & omnis gloria hominis, tāquam flos fœni. exaruit fœnum, & flos eius decidit. VERBVM autem Domini manet in æternum. hoc est autem verbum, quod euangelizatum est in vos.

Postquam Apostolus induxit istos gentiles dispersos ad persistendum in diuina gratia, ex æternę hæreditatis participatione, ex tēporis laborisq; modica toleratione, ex salutis ipsorum aperta reuelatione; In hac parte, inducit illos, vt persistant in diuina gratia, ex eorum prætij redemptionis inestimabili recompensatione, quod multiplici via demonstrat. Et primò est notandum, quòd, ad redemptionem humani generis de potestate diaboli, non erat sufficiens aliqua pura creatura; quia omnes maculatæ erant; sed oportebat, talem redemptorem immunem esse ab omni macula. & ideo pura creatura ad hoc apta non erat. & ideo primò ponit talem rationem, Illi debent in gratiam, ad quam vocati sunt, perseuerare, ad quorum redē-ptionem non sufficiebat aurum, & argentum, nec aliquod præcium temporale: sed vos gentiles dispersi estis tales, quòd ad vestram redemptionem non sufficiebat aurum, & argentum, nec aliquod præciū temporale. ergo

Inducūtur dispersi ad persistēdū, ex inæstimabili præcio suæ redēptionis. Nulla creatura sufficiens erat ad faciendam generis humani redēptionem.

debetis in gratia perseuerare, ad quam vocati estis. continua sic litera, Dictum est, quòd vos debetis perseuerare, & conseruari in gratia DEI, & timore, in hac vita præsenti, scientes, quòd non corruptibilibus auro, & argento, idest non corruptibili prætio redempti estis de vestra vana conuersatione pristinæ eruditionis, vel pristinæ præuaricationis, quia, talibus corruptibilibus prætils, consueuerunt redimi inter homines commissa in præuaricatione antiquę legis: sed peccatum humani generis, quod dicitur fuisse peccatum pręuaricationis antiquæ, non poterat redimi talibus prætijs corporalibus, primò ex parte offensæ diuinæ, quæ infinita fuit. 2. ex parte nostræ infectionis, ex qua nil boni ex nobis poteramus; & sic redemptio a nobis esse non poterat. deinde cum dicit, Sed prætioso sanguine.] * hîc ponitur efficacia, & magnitudo sanguinis CHRISTI, facientis, & operantis nostram salutem, ac redemptionem, tali ratione, Illi debent firmiter perseuerare in gratia, ad quam vocati sunt, vel quia vocati sunt, qui redempti sunt prætioso sanguine IESV CHRISTI: sed vos gentiles estis taliter redempti: ergo debetis in gratia perseuerare, qua estis vocati. ideo Benè dico, quòd redempti estis non corruptibilibus, auro, & argento: sed, supple, redempti estis prætioso sanguine, agni immaculati IESV CHRISTI, & nota, quòd, propter passionis eminentiam, dicit Apostolus, prætioso sanguine; propter autem eius mansuetudinem, & obediētiam, dicit, quasi Agnus; propter verò peccati actualis carentiam, dicit incontaminati; &, propter peccati originalis munditiem, dicit immaculati. deinde cum dicit, Præcogniti quidem.] hîc ponitur dictæ redemptionis temporis plenitudo, & est ratio talis, Illi debent in gratia, ad quam vocati sunt, permanere, & firmiter perseuerare, propter quos, in nouissimis temporibus, CHRISTVS incarnatus est, & manifestatus: sed, propter vos dispersos, & incarnatus, & manifestatus. ergo vos debetis in illa gratia permanere, ad quam vocati estis. Ideo dicit, Bene dico, quòd redempti estis prætioso sanguine immaculati IESV CHRISTI, certè præcogniti, idest præordinati a DEO, ante mundi constitutionem, scilicet antequam per ipsum fieret redemptio. præcogniti, inquam, & manifestati, supple, per assumptionem humanitatis, in nouissimis temporibus, & hoc propter vos saluandos, qui per imperium, idest per institutionem, & ordinationē eius, estis fideles in Deo, sicut membra capiti vnita. deinde cum dicit, Qui suscitauit eum.] hîc ponitur CHRISTI resurrectio, & ascensionis gloria, propter passionem: & est talis ratio, Illi debent esse in gratia perseuerantes, ad quam vocati sunt, propter quos CHRISTVS mortuus est, & resurrexit, & in cœlo glorificatus est. Sed vos, gētiles, estis, pro quibus CHRISTVS mortuus est, & resurrexit: ergo in gratia debetis perseuerare. ideo dicit, Benè dico, quòd vos debetis esse fideles DEO, & eum imitari, qui DEVS, scilicet pater,

Antiqua pręuaricatio non redimi poterat humanis prætijs ex 2.
1. Ex parte offensę diuinę.
2. Ex parte nostræ infectionis.
* Sāguinis Christi uirtus, & efficacia.
3. Incarnationis Christi tempus.
4. Christi resurrectio & ascensionis gloria propter passionem.

pater, suscitauit CHRISTVM a mortuis, idest a loco mortuorum in resurrectione; & dedit, supple, illi gratiam sempiternam in ascensione habere; & hoc, vt eandem gloriam per ipsum, id est eius meritis, speretis vos habere. vnde subdit, Vt fides vestra, & spes essent in DEVM.] supple cõfirmata: quod tandem fuit completum in Spiritus sancti missione. deinde cũ dicit, Animas vestras.] ponitur hic dictorum beneficiorum recognitio, & primò, quòd ipsa beneficia debemus recognoscere, tali ratione, Illi, qui tot beneficia receperunt a DEO, debent castificare, idest castas animas reddere ipsi DEO, per obedientiam castitatis, & amorem fraternitatis. sed vos gentiles dispersi tot a DEO recepistis beneficia: ergo debetis castas præstare DEO, ideo castificantes, idest castas reddatis animas vestras ipsi DEO, sponso vestro; & hoc, in obedientia veritatis, per spiritum, idest propter spiritum viuificandum. quia aliter, supple, talis castificatio non esset meritoria, & in fraternitatis amore firmata. quia non in aliquo modo temporali, sed in amore simplici, ex corde, non solùm ore, inuicem diligite, idest diligere debetis intensè, idest intensius, quàm vsq; modo fecistis, quum, simulato amore, vos inuicem diligebatis. deinde cum dicit, Renati.] hic ponitur dicti verbi, nos regenerantis, permanentia, tali ratione, Illi debẽt in gratia, ad quam vocati sunt, firmiter permanere, qui regenerati sunt nõ ex semine corruptibili, sed incorruptibili, quod est & verbũ DEI: sed vos estis sic renati ex semine incorruptibili, & permanente: ergo firmiter permanere debetis in ista gratia. dicit ergo, Benè dico, quòd debetis inuicem diligere, quia renati estis, idest regenerati, non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, quod est verbum DEI, idest per filium DEI viui, permanentis in æternum. deinde cum dicit, Omnis caro fœnum.] ponitur nostræ carnis corruptio; & est ratio talis, Illi, qui habent carnem corruptibilem, permanere debent in DEI gratia, & in DEI verbo, quod manet in æternum: sed vos gentiles habetis carnem vestrã corruptibilem: ergo permanere debetis in DEI gratia. dicit enim, Benè dico, quòd renati estis ex semine incorruptibili: nam, ex natura vestra, corruptibiles estis: quia omnis caro fœnum, idest omnis caro est transitoria, & omnis gloria eius, idest omnes delectationes eius carnis, quasi flos fœni: nam exaruit fœnũ, idest desiccata est ipsa caro, quandoq; morte, quandoq; infirmitate, & tũc flos eius decidit, idest carnalis concupiscentia, & carnalis delectatio corrumpitur, vel sathiscit, & desinit: sed verbum DEI manet in æternum, quia cœlum, & terra transibunt; verba autem DEI, idest DEI ordinationes, non transibunt. & hoc verbum, supple, quod non transibit, est illud, quod euãgelizatum est vobis per me, & alios apostolos in vobis, scilicet veritatis euãgelicæ, de verbo DEI incarnato annunciantis.

Spiritus Sãcti missio.

5. Beneficiorum recognitio.

6. Permanentia uerbi regenerantis.

7. Carnis corruptibilitas.

8. Verbi Dei stabilitas.

CAP.

CAP. II.

Textus particula 4.

DEPONENTES igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modò geniti, infantes, rationabile, & sine dolo lac concupiscite; vt in eo crescatis, si quidem gustastis, quòd bonus est Dominus. ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, a DEO autem electum, & praciosum ET ipsi tanquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendũ spirituales hostias, acceptabiles DEO, per IESUM CHRISTUM. Propter quod continet scriptura, Ecce pono in Syon lapidem summum, angularem, electum, prætiosum, & qui crediderit in eum, non confundetur.

Exhortatio ad persistendum in gratia diuina, ex tribus peccatis deponendis. 1. Remouendus malus affectus in proximum

NVNC hortatur gentiles dispersos ad persistendum in diuina gratia ex peccatorũ vetustatis depositione, & primò ponit, quòd tria peccata oportet nos deponere, si volumus in DEI gratia permanere. primò proximi offensionem, & rancorem. 2. nostram infectionem. 3. circa ipsum Dominum remouere irreuerentiam, & mentis inordinationem: & circa primum vtitur tali ratione, Illi, qui voluntin DEI gratia persistere, debent a se remouere omnem malitiam, & omnem nocendi voluntatem proximo suo: sed vos gentiles dispersi estis tales, quòd vultis in DEI gratia permanere; ergo debetis remouere omnem malitiam, & nocendi voluntatem, quia consecuti estis diuinam gratiam Continuatur sic. dictum est, quòd vos estis renati per verbum euangelij, quod euangelizatum est in vobis: ergo nunc; deponentes omnem malitiam, quasi dicat, vt persistatis in tali verbo, deponatis omnem voluntatem nocendi alijs, & deponatis omnem dolum, idest omnem latentem deceptionem, & simulationem. idest blanditias, & nequitias adulatorias, vt, scilicet, non aliud habeatis in corde, quàm proferatis in ore, & inuidias, supple, sitis deponentes circa prosperitates proximorum, & deponatis omneis detractiones, scilicet verborum. deinde cũ dicit, Sicut modò geniti.] docet remouere omnem defectum, tali ratione, Illi, qui volunt, in Dei gratia permanere, debent a se remouere omnem malitiam, & debent concupiscere saturari diuina dulcedine; sed vos gentiles

2. Remouenda infectio.

estis tales,

estis tales, quòd vultis persistere in DEI gratia: ergo debetis a vobis remouere omnem malitiam, & concupiscere satiari diuina dulcedine. ideo dicit non solùm debetis deponere omnem malitiam contra proximos; sed etiã debetis esse perfecti in vobis ipsis, quia debetis esse, sicut modò geniti, infantes per malitiæ remotionem: & etiam debetis esse rationabiles, per sapiẽtiæ infusionem: & hoc sine dolo, idest sine ruga dupplicitatis, & si non potestis vti solido cibo, scilicet sacræ scripturæ, idest si non potestis alta percipere; lac concupiscite, idest simplicia rudimenta fidei de vberibus vestræ matris Ecclesiæ sumite, vt in eo, idest vt in tali simplici erudimento crescatis & augumentum sumatis in salutem, scilicet æternam, possidẽdam, deinde cum dicit, Si tamen gustastis.] hic docet, remouere DEI irreuerẽtiam, sic, Illi, qui volunt in Dei gratia persistere, debent ipsum Dominũ CHRISTVM non contemnere. sed in eum credere, & in reuerẽtia habere: sed vos gentiles vultis in gratia permanere; ergo debetis non contemnere Dominum IESVM CHRISTVM, sed in reuerentia habere. ideo dicit, Si tamen gustastis, quàm suauis est Dominus, hoc pacto poteritis in salutem, & in contemplationem diuinę maiestatis peruenire, si gustastis, quoniam suauis, & dulcis est Dominus, si tamen purgata sit malitia cordis vestri, aliter non; quia, de diuina dulcedine non gustat, qui terrenis desiderijs seipsum sordidare non desinit. verùm, quia talem Dominum gustare non potest quis, nisi per fidem formatam Charitate; ideo subdit, Ad quem Dominum, supple, accedentes fide, & imitatione tanquam ad lapidem viuum.] idest tanquam ad fundamentum vitale vitæ nostræ, ab hominibus quidem reprobatum, idest a Iudæis, supple, cum dixerunt coràm Pilato, Non habemus regem, nisi Cæsarem. a Deo autem electum, idest ab æterna dispositione, & glorificatum in gloriosa ascensione. deinde cum dicit, Et ipsi tanquã.] hic ponitur, quòd in fundamento spirituali debet esse ędificatio nostra, sic, Illi, qui volunt diuinam gratiam conseruare, debent spiritualiter in fundamento spirituali, quod est CHRISTVS IESVS, fortiter, & firmiter ædificare: si ergo vos gentiles vultis in gratia persistere, oportet vos in fundamẽto tali spirituali firmiter ædificare. ideo dicit, quòd vos ipsi gentiles super lapide viuo vosmetipsos tanquam lapides viui superædificamini, & hoc in domos spirituales, idest in mansiones spirituales, & in sacerdotium sanctũ, hoc est vos existentes sacerdotes sancti, idest a terrenis separati, stabiles, firmi, & spirituales, debetis offerre hostias spirituales acceptabiles DEO per IESVM CHRISTVM, cuius gratia habetis hæc omnia. deinde cũ dicit, Propter quod continet.] ponitur nunc dictæ ædificationis consideratio, sic, Illi debent esse ædificati super fundamentum, quod est CHRISTVS, quorũ ædificatio est prophetata per Isaiam prophetã, sed vestra ędificatio est prophetata. ergò debetis edificari super fundamentum tale, quod est CHRI-

3. Remouẽda irreuerẽtia in Deũ

Vt, & qualiter disposito debeamus accedere ad deũ

In fundamento spirituali ædificandum.

Aedificationis ratio.

STVS. dicit ergo, Benè dico, quòd debetis ædificati esse super lapidem viuum, idest testimonium consideratum ab Isaia propheta. xxviii. Ecce ego ponam in Syon, idest in Ecclesiam, lapidem summum, idest ipsum CHRISTVM angularem, idest coniungentem duos populos, electum, scilicet à DEO, pretiosum, idest redemptorem, & pretium nostrum, quo redempti sumus a miserabili seruitute diabolica: & qui credit in eum redemptorem corde puro, & mundo, non confundetur.

Textus particula 5.

VOBIS ergo honor credentibus, non credentibus autem lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali his, qui offenduntur verbo, nec credunt in quod & positi sunt: vos autem, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum, qui aliquando non populus: nunc autem populus Dei, qui non consecuti misericordiam: nunc autem misericordiam consecuti.

Inductio ad fidei firmitaté, ex tribus.

1. Ex credétiú premio

NVNC inducuntur dispersi ad firmitatem fidei, primò ex credétium premiatione. 2. ex non credentium reprobatione. 3. ex non credentium condemnatione. & primò ponitur credentium, honorificatio, sic, Illis meritò debetur honor, qui credunt, ipsum IESVM CHRISTVM esse filiū Dei; sed vos gentiles dispersi creditis, CHRISTVM esse filium Dei; ergo estis digni honore. ideo dicit, Benè dico, quod omnis, qui credit in eum, non confundetur. vobis igitur credentibus honor, quasi dicat, Præparatur vobis honor a patre cœlesti in vita æterna; & nō in ista fragili. deinde cū dicit, Non credentibus.] nunc ponitur, non credentium reprobatio, sic, Illi meritò debent reprobari a Dei gratia, & a diuina gloria percipienda, qui reprobauerunt CHRISTVM, lapidem viuum, nolentes illum ponere in sui ipsorum ædificationem, & tamen, non obstante eorum reprobatione, ipse lapis CHRISTVS factus in caput anguli, in Christianam ædificationem: sed ipsi Iudæi fuerunt tales, quòd ipsum CHISTVM, lapidem viuum reprobauerunt ædificantes suos actus, & sua opera sine ipso lapide CHRISTO. ergo debent reprobari, & reprobati a diuina gratia, sic etiam excludi a gloria. ideo dicit, Benedico, quòd credentibus in CHRISTVM, debetur honor, quia non credentibus in eum, supple, debetur reprobatio, eo quòd lapis, idest CHRISTVS, quem ipsi reprobauerunt ædificantes sua opera, scilicet sine CHRISTO; hoc tamen nō obstante, hic lapis, scilicet CHRISTVS factus est in caput anguli, ratione vnionis, quia vniuit cœlestia cū terrenis,

2. Ex non credentiū reprobatione.

in se ipso

in se ipso carnem sumens, & pacificans per sanguinem Crucis, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt, vel vniens duos populos Iudæorum, & Gentilium in vna fide euangelica. deinde cum dicit, Et lapis offensionis.] ponitur eorum condemnatio, tali ratione, Illi meritò debent cōdemnari per ipsum CHRISTVM, qui in eum non credunt, & quibus ipse CHRISTVS est lapis offensionis, & petra scandali, eo quòd de verbis eius scandalizantur, atq; turbantur: sed aliqui ex vobis gentilibus sunt scandalizati ex verbis CHRISTI, qui in ipsum non creduni, in quo CHRISTO sunt positi, tāquam sub fundamento, scilicet conculcati, & depressi, & cōdemnati. ideo dicit, quòd volentibus, idest credentibus Iudęis, hic lapis, qui est CHRISTVS factus est in caput anguli, idest in coniunctione duorum populorū, & factus est, supple, lapis offensionis, scilicet non credentibus, & petra scādali his, qui offenderunt verbo, nec credunt in eum, scilicet in quem positi sunt, verbo, inquam, offenderunt, dicentes, Non habemus regem, nisi Cęsarem, nec credunt in eum. vel his est petra scandali, qui offendunt verbo, idest his qui impingunt in verbum, idest in filium Dei verbum euangelicum, in quo enim deberent saluari, in illud impingunt, & impugnant, & ex hoc est eis lapis offensionis, & petra scandali, qui deberet eis esse petra salutis. vnde subdit, nec credunt in quod & positi sunt, idest in quod instituti erant a lege, & prophetis accessuri, vt sic saluarétur. deinde cum dicit, vos estis.] hîc ponitur sacerdotii dignitas, concessa populo Christiano, quæ nunc talis, & tanta est, quòd regalem excedat, sicut & in veteri lege, regalis sacerdotalem excedebat, & sicut in veteri lege, in qua promissum erat regnum sacerdotale; non tamen omnes erant reges, sed aliqui; ita & nunc in lege euangelica, in qua ordinatum est a CHRISTO sacerdotium regale. non omnes sunt sacerdotes, sed aliqui, qui ordinati sunt. primò ergo ponitur dignitas sacerdotii sic, Illorum status est sublimis, & altus, qui sūt a Deo electi, in sacerdotium regale, in gentem sanctam, & in populū acquisitionis, idest in populū, qui Deo debet referre gratias: sed vos, o sacerdotes, estis tales; ergo status vester est sublimis, & altus. * In ista ratione quatuor tangit dignitates sacerdotii, & prima est ex diuina electione; quia sacerdotes non debent se ad diuina exercenda ingerere, per parentum potestatem, vel nobilitatem, neq; per simoniam: sed debent eligi a Domino. ideo Dei vos estis, scilicet a Domino electi, idest secundùm ordinationem Domini. 2. dignitas a spirituali consecratione in eo quòd regale dicitur sacerdotium. nam CHRISTI corpus consecrantes, & sacra ministrantes, vocantur sacerdotes presbyteri; & reges dicuntur sacerdotes, quia sacra recipiunt, quia sacra conficiunt, quia sacra dant. dicūtur etiam præsbiteri propter morum honestatem, propter sapientiæ veritatem, propter tentationū immunitatem: dicuntur etiam reges propter coronę dignitatem, propter

3. ex nō credentiū condemnatione.

De dignitate Sacerdotali apud christianos

*sacerdotij sublimitas ex quatuor principalibus.

1. ex diuina electione.

2. ex consecratione spirituali.

Sacerdotes dicuntur reges.

Dicuntur præsbyteri

regendi potestaté, quia, sicut regibus dantur tributa, ita sacerdotibus dantur decimæ, & oblationes, propter tributa recipiendi authoritatem. commendatur etiam sacerdotium ab eorum sancta conuersatione. ideo dicit gens sancta. commendatur etiam sacerdotium ab eorum gratiarũ actione. nam ad hoc sunt acquisiti, & uocati in spiritualem populum DEI, ut referant DEO gratiarum actionem, pro beneficijs collatis ipsi populo. dicit ergo Petrus Apostolus ipsis sacerdotibus, Vos estis genus electum, per diuinam electionem; sacerdotium regale, per spiritualem consecrationem, & unctionem; gens sancta, per honestæ uitę conuersationẽ populus acquisitionis, per gratiarum actionem, pro beneficijs populo collatis, & quia estis illi, qui vestris monitis populum DEO acquiritis. deinde cum dicit, Vt uirtutes.] commendantur sacerdotes ab eorum officii administratione sic, Illorum officium est magnæ dignitatis, qui DEI sunt ueritatis præcones, & annunciatores: sed sacerdotes sunt diuinæ ueritatis præcones: ergo sunt magnæ dignitatis. dicit ergo, Benè dico, quòd uos sacerdotes estis uocati in populum acquisitionis: & hoc ut ueritatem, non fabulas annuntietis, eius, scilicet CHRISTI, qui de gentibus, ideſt de ritu gentilium, uocauit uos, per internam inspirationem, & per Apostolorum prædicationem, in admirabile lumen suum, ideſt per suum mirabile lumen, quo illuminat omneis credentes, uel in admirabile lumen suum, ideſt in æternam beatitudinem, luminosam, uel ad fidem illuminantem, quæ donum, & lumen DEI est. deinde cum dicit, Qui aliquando non populus.] hic commendantur sacerdotes, ratione status, a quo, uel de quo uocati sunt in perfectionem, sic, Illorum status est imperfectus, qui carent DEI annunciatione, & diuinæ misericordiæ consecutione. sed status sacerdotum, ante conuersionem ad fidem, fuit talis; scilicet imperfectus, carens annunciatione populi DEI, & carens consecutione diuinę misericordiæ: ergo talis fuit, & est imperfectus. Ideo dicit, Benè dico, quòd uos estis uocati in admirabile lumen DEI, qui aliquando, scilicet ante receptam fidem, fuistis non populus DEI. nunc autem, scilicet tempore gratię, & fidei, estis populus DEI; ac etiam tunc fuistis, non misericordiam consecuti; nunc tempore gratię, misericordiam, ideſt ueniam consecuti ex misericordia, & non ex merito uestro.

Commendatur a sanctitate conuersationis Ab actione gratiarum.

3. Ex officij administratione.

Sacerdotes diuinæ uerit. præcones.

4. Ex trãslatione a statu imperfecto ad perfectum.

Textus particula 6.

CHARISSIMI, obsecro vos tanquam aduenas, & peregrinos, abstinere a carnalibus desiderijs, QVAE militant aduersus animã, cõuersationẽ vestram inter gentes, habẽtes honestã: vt in eo, quod detrectant vobis, tanquã malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent DEVM in die uisitationis.

visitationis. SUBIECTI igitur estote omni humanæ creaturæ propter Dominum, siue regi, quasi præcellenti, siue præsidibus, tanquã ab eo missis ad vindictam quidem malefactorũ, laudem verò bonorum; quia sic est voluntas DEI, UT BEne facientes obmutescere faciatis imprudentium hominũ ignorantiam, QUASI liberi, & non quasi velamen habentes, malitiæ libertatem; sed sicut serui DEI. OMNES HONORATE: FRATERNITATEM diligite: DEUM timete: REGEM honorificate.

HORTATVS est supra Apostolus istos gentiles ad persistendum in diuina gratia communiter omnes. in ista autem parte hortatur quosdam personas specialiter, ne, scilicet, carnaliter viuendo, reddant se indignos diuina gratia ex quatuor. & primò hortatur liberos, & seruos, hoc modo, Illi, qui volunt in se habere vitæ sanctitatem, debent a se remouere carnalia desideria: sed vos gentiles estis tales; quòd vultis habere vitæ sanctitatem, ergo remouere debetis a vobis carnalia desideria. dicit ergo, Chari, ratione naturæ; chariores, ratione vinculi charitatis; Charissimi ratione æternę hæreditatis: obsecro vos, tanquam aduenas, & peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam. ista enim quatuor debent omneis mouere ad vitæ sanctitatem, & ad permanendum in DEI gratia. primum est Apostoli admonitio, & obsecratio. cum dicit, Charissimi, obsecro.] idest per sacra rogo vos, & ex humilitate rogat, cum tamẽ ex officio posset præcipere, quia Ambrosius dicit, quòd, Plus prodest amica correptio, quam accusatio turbulẽta. 2. est vitæ præsentis peregrinatio, cum dicit, Tanquam aduenas, & peregrinos.] nam, si ista vita temporalis cum rebus mundanis semper duraret, fortè excusationem haberemus, si spem in eis poneremus: sed, quia, hîc non habemus permanentiam, ideo ista temporalia debemus despicere, & amare cœlestia, sempiterna. 3. mouens ad vitæ sanctitatem est intellectus nostri circa ista temporalia obtenebratio. & hoc, cum dicit, Abstinete vos a carnalibus.] quòd carnalia desideria maxime obtenebrant, & obcæcant mentes hominum. 4. mouens ad sanctitatem vitæ, est nostræ spiritualis fortitudinis amissio, cum dicit, Quę militant aduersus animam.] nam in tantum militant desideria carnalia aduersus animam, quòd taliter ipsam debilitant, quòd vires amittit, & succũbit, nisi gratia DEI roboretur. ideo ab his rogat abstinendum. deinde cũ dicit, Conuersationem vestram.] hîc ponuntur quæ inducere possunt, & debent ad vitę sanctitatem. & primò ex bona cum proximis cõuersatione

Hortantur quidam specialiter, se ut dignos præstent diuina gratia ex 4.

Quatuor debẽt omnes mouere ad uitæ sanctitatem.

1. Apostoli obsecratio.

2. Vitæ huius peregrinatio.

3. Intellectus circa temporalia obcæcatio.

4. Spiritualis fortitudinis amissio.

Ad sanctitatem inducentia, sex.

1. Bona cũ proximis cõuersatio.

sic, Illi, qui volunt habere vitæ sanctitatem, debent conuersationem suam inter gentes habere bonam: sed vos gentiles, debetis velle habere vitæ sanctitatem. ergo debetis conuersationem habere bonam. vnde dicit, supple, si vultis vitæ sanctitatem, sitis habentes conuersationem vestram inter gentes bonam; etsi omnes Christiani teneantur conuersationem habere bonã, per morum maturitatem, inter gentes, idest inter gentiliter, & malè viuentes, præcipuè tamen sacerdotes, qui sunt positi in speculum aliorũ. deinde cum dicit, Vt in eo, quod detractant de vobis.] hîc ponitur 2. nos inducens ad vitæ sanctitatem, scilicet remotio detractionis, sic, Illi, qui volunt habere vitę sanctitatem, debent alijs auferre materiam detrahendi: sed vos gentiles, vultis habere vitæ sanctitatem; ergo debetis alijs auferre materiem detrahendi, & malè loquendi de vobis. ideo dicit, Benè dico, quòd conuersationem vestram, idest morum vitæ vestrę inter gentes, & inter malè viuentes, debetis habere bonam, & honestam; vt eo, supple, quòd gentes malè viuentes detractant de vobis, tanquam de malefactoribus, idest ac si essetis malefactores; tamen, ex bonis operibus vestris, vos, considerantes, idest obseruantes, & calumniantes vos, & deridentes: tamen, si perseuerantes eritis in bono, & in gratia DEI, & abstinebitis vos a carnalibus desiderijs, & conuersationem bonam habueritis inter gentes, hoc est inter malos: tunc, qui modò calumniantes sunt, ac deridentes vos, propter bonam vitam vestram, glorificabunt DEVM, in die visitationis, idest in die vestræ præmiationis; quando scilicet deponet potentes mundanos de sede, & exaltabit humiles spirituales. deinde cum dicit, Subditi estote.] hortatur istos gentiles ad gratiæ libertatem ex humilitate affectus, sic, Quicũq; vult habere humilitatis affectus, debet esse omnibus subiectus: sed vos gentiles debetis habere humilitatis affectus; ergo debetis omnibus subijci. ideo dicit, Subditi estote omni humanæ creaturę; & hoc propter DEVM, qui sic præcipit, vel propter Dominum, idest ad honorem DEI, vel in his, quæ præcipit DEVS, vel, propter Dominum, in his, quæ non sunt contra DEVM, vel contra honorem DEI. deinde, cum dicit, Siue regi.] inducit ad affectus humilitatem ex prælatorum debita honorificatione, sic, Quicũq; volunt habere affectus humilitatem in se ipsis, debent reuerenter obedire suis maioribus, siue regi, tanquam pręcellenti, siue ducibus, idest officialibus suis: sed vos gentiles debetis habere affectus humilitatem; ergo debetis istis obedire. dicit ergo, Benè dico, quòd debetis omni creaturæ humanæ, non diabolicę subditi esse, propter DEVM, siue regi, tanquam præcellenti, siue ducibus, quasi dicat maioribus, & minoribus prælatis, siue in dignitate, & potestate constitutis, tanquam a DEO missis ad vindictam malorũ, idest malè operantium, ac missis etiam ad laudem bonorum operum, vel benè operantium, quasi dicat ad punitionem malorum hominum, & exaltationem

2. Remotio detractionis.

3. Affectus humilitas.

4. Reuerentia in prælatos.

tationem bonorum hominum, deinde cum dicit, Quia sic est voluntas DEI.] hîc inducit eos ad affectus humilitatem ex DEI voluntatis obserua tione, sic, Illi, qui volunt habere affectus humilitatem in se, debent se conformare voluntati DEI: sed diuina voluntas est hæc, vt, benefacientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. dicit ergo, Benè dico, quòd debetis omnibus obedire maioribus, & minoribus, in his, quæ non sunt contra DEI honorem, & salutem animæ; quia sic est volun tas DEI, vt, sic benefacientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam; quasi dicat, Vos subditi benefaciendo, faciatis obmutescere ignorantiam malorum prælatorum, quando eis, & si malis existen tibus vtimini in bonum, & hoc ipsi ignorant, quia malitia eorum in vestrū bonum, quando eis obeditis. nam boni subditi obmutescere malos, & imprudentes Dominos faciunt, quando Dominos superbos, per humilitatē vincunt; quando auaros per largitatem superant; quando luxuriosos dominos per castitatem, & honestatem vincunt. deinde cum dicit, Quasi liberi.] hîc ponitur 6. quod habet inducere ad gratiæ libertatem, & est talis ratio, Quicunq; volūt esse liberi, debent illam libertatem habere in bonū, quia malum posse, non est posse, sed magis est deficere: sed vos gētiles, vul tis esse liberi, & debetis hoc velle; ergo debetis libertatem habere in bonū, scilicet vestrum, & non in malum. dicit ergo, Obedientiam subiectam faciatis, sic scilicet, vt, liberi existentes, & non quasi velamen habentes malitię libertatem; quasi dicat libertas vestra non obuoluat corda vestra, & mentes vestras, vt tanto licentius peccetis, quanto minus, iugo seruitutis DEI, estis astricti, quasi dicat, Obedite, tanquam liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, hoc est tanquam liberi quidem, sed nō habentes libertatem pro velamine malitiæ: ita quòd, sub prætextu libertatis spiritus, seu fidei euangelicæ velemus, vel veletis malitiam carnalium affectuum, & similium: & sic volo, vos liberos a seruitio carnalium voluptatum; seruos autem creatoris. sitis ergo liberi, non quasi velamen malitiæ habētes, sed sic liberi, sicut serui DEI, quia seruitus DEI nō abutitur libertate spiritus: sed sicut serui DEI, omnes honorificate, vel honorate: fraternitatem diligite: DEVM timete: regem honorificate. non enim sufficit, præcepisse in genere omnibus, videlicet vnicuique secundum gradum suū, & meritum eius: sed adiungit speciale præceptum honoris exhibēdi Regi, quia specialis ratio vrget, ne quis credat, nos, ratione libertatis spiritualis, velle subtrahere subditos ab obedientia regum, & principum secularium: ideo vltimo dicit, Regem honorificate, ità ut nihil detrahatur regi debitū, propter Christianam doctrinam, quod tamen sit uerè debitum, & non uoluntate tantūm impositum.

5. Obserua tio diuinæ uolunt.

6. Liberta tis bonus usus.

SERVI

Textus particula 7.

SERVI, subditi estote, in omni timore, Dominis, non tantùm bonis, & modestis, sed etiam discolis. hæc est enim gratia, si, propter DEI conscientiam, sustinet quis tristitias, patiens iniustè. quæ enim est laus, si peccātes, & ideo colaphizati, suffertis? sed, si, benefacientes, patienter sustinetis, hæc est gratia apud DEUM. in hoc enim vocati estis, quia et CHRISTUS passus est pro nobis, vobis relinquens exemplū, vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius; qui, cum malediceretur, non remaledicebat: cum pateretur, non comminabatur. tradebat autem vindictam iudicanti iustè, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus, cuius liuore sanati estis. eratis enim sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem, & episcopum animarum vestrarum.

Hortatur seruos ad humilē subiectionem quæ 1. est ratio, quā 8. sequuntur.

SVPERIVS omnes generaliter instruxit: modò descēdit ad speciales gradus hominū, & ad seruos, & illos instruit ad humilē subiectionē suorū dominorū sic, Sēper inferiores debent subijci superioribus: sed serui sunt inferiores; ergo subijci debēt superioribus, scilicet dominis, qui sunt superiores. cōtinuetur sic litera. Dictū est, quòd liberi debēt habere libertatē in bono, quales debēt esse serui DEI, ex quo habetur exhortatio ad dominos. restat nūc, vt fiat exhortatio ad seruos. vnde ait, Vos serui subditi estote, in omni timore, Dominis non tantùm bonis, scilicet in vita, & modestis scilicet in verbis: sed etiam discolis, idest indisciplinatis, vel asperis, verbis, & factis. in timore, dico, vos debere seruire, non in timore seruili, sed magis timore initiali, vel filiali, respiciendo tantùm ad meritum apud Dominum. deinde cum dicit, Hæc enim gratia.] hîc ponitur eorum apud Dominum præmiatio, sic, Illi præmiantur a Domino, & illi efficiuntur DEO grati, qui

Ex diuino præmio, ratio 2.

iniustè patiuntur tribulationes, propter DEVM: sed vos serui, quandocunq; patimini iniustè tribulationes a vestris Dominis; tunc & reddimini DEO grati, & accepti. dicit ergo, Hæc est gratia.] idest in hoc cōsistit gratia, idest vestra gratitudo, & vestrum præmium, si, propter conscientiam DEI, id est, si propter DEVM, scientem bonam conscientiam vestram, substinet quis tristitiam, idest dura verba, & verbera patiens iniustè a suo

Ex pœna, & laude, ratio. 3.

Domino sic, inquam, efficitur DEO gratus. deinde cum dicit, Quæ est enim gratia, vel laus.] hîc ponitur, quis patiens sit gratia, & laude dignus, sic, Peccan-

sic, Peccantibus, & offendentibus, meritò, & de iure debetur pœna, sic iniustè patientibus, & iniustè offensis debetur gratia, & laus, & hoc est, quòd dicit, Quæ est enim gratia, vel laus, idest quæ gratia, vel laus debetur vobis, si peccantes estis, quasi dicat, si propter peccata vestra colaphizati, & verberati fueritis?] quasi dicat, nulla vobis debetur gratia, vel laus, vel præmium, si, propter peccata vestra, patimini verbera, & verba correctionis a vestris Dominis. deinde cum dicit, Qui si benefacientes.] ponitur remunerationis, vel laudis conclusio, sic, Gratia DEI laude, & præmio remunerantur iniustè patientes: sed vos serui, si benefacitis, sequitur, quòd vos patiamini iniustè a vestris Dominis. ergo meritò debetis a gratia DEI remunerari. dicit ergo, si benefacientes patienter sustineatis.] scilicet mala, illata a Dominis vestris iniustè, hoc est gratia apud Dominũ, idest hoc est gratum apud DEVM, quamuis non sit gratum apud homines. nam in hoc vocati estis.] supple, vt patienter patiamini, vel in hoc vocati estis, scilicet ad seruitutem, vt in tali statu permaneatis cũ salute. deinde cum dicit, Quia CHRISTVS.] inducit seruos ad patiendũ patienter, exemplo, & imitatione CHRISTI, & DEI. & primò ponit talem rationẽ, Omnis CHRISTI actio nostra est instructio: sed CHRISTVS passus est pro nobis iniustè. ergo & vos debetis etiã iniustè tribulationes pati, pro amore DEI, vt eius vestigia sequamini. dicit ergo, Benè dico, quòd in hoc vocati estis, supple, vt patienter patiamini, quia & CHRISTVS passus est pro nobis, vobis, supple, gentilibus, relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. deinde cum dicit, Qui peccatum non fecit.] ponit quòd CHRISTVS est imitãdus, in peccati immunitate, tali ratione, Illius vestigia debetis imitari, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: sed talis est ipse CHRISTVS. ergo eius vestigia imitari debetis. ideo, Benedico, quòd vestigia CHRISTI debetis imitari, qui peccatum non fecit, quia non hominũ more natus est; nec dolus inuentus est in ore eius, quia est veritas ipsa. deinde cum dicit, Qui, cum malediceretur.] hîc docet, CHRISTVM imitandũ, in humilitate patientiæ, sic, Illius vestigia debetis imitari, qui, cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur. sed CHRISTVS fuit talis, ergo eum imitari debetis. ideo dicit, Qui.] scilicet CHRISTVS. cum malediceretur a Iudæis, idest verbis iniuriosis afficeretur ab eis; non tamen maledicebat, idest non improperabat Iudæis mala, quæ verè in eis erant, & cum pateretur a Iudæis, etsi iniustè, non cõminabatur tamen, idest periculum diuini iudicij eis non annuntiabat, neq; eis inijciebat, sed patienter ferebat cuncta. deinde cum dicit, Tradebat autem se.] ostendit hîc, CHRISTVM imitandum, in feruore charitatis, sic, Illius vestigia debetis imitari, qui sponte se exponit morti, propter vos. sed talis fuit CHRISTVS; ergo eum debetis imitari. dicit ergo, Benedico, quòd CHRISTI

Ex iustitiæ amore, ratio 4.

Ex imitatione Christi in passione ratio. 5.

Ex imitatione Christi, in immunitate peccati, ratio 6.

Ex imitatione Christi, in patiẽtiæ humilitate, ratio 7.

Ex imitatione Christi, in feruore charitatis, ratio. 8.

vestigia debetis imitari, qui CHRISTVS tradebat se, supple, spontaneè iudicanti se iniustè, scilicet Pilato iudici, iniustè iudicanti eum; vel tradebat se spontè iudicanti se iniustè, quasi dicat, populo iudæorum sponte se obtulit, cum respondit, Si ergo me quæritis, sinite hos abire. populo inquam iudæorum se tradidit iniustè se iudicanti, quando dixerunt, Reus est mortis: vel sponte se tradidit populo Iudæorum iniustè se ipsum cōdemnanti, cum dixerunt Sanguis eius super nos, & super filios nostros, Qui scilicet CHRISTVS peccata nostra portauit, super lignum Crucis, vt peccatis mortui, iustè viuamus, cuius liuore sanati sumus, idest cuius nimia dilectione: vel, cuius carne liuida facta, sanati sumus. deinde cum dicit, Eratis enim.] docet nunc imitari CHRISTVM in veritate doctrinæ, sic, Illius vestigia debetis sequi, ad quem cōuersi estis: sed ad CHRISTVM conuersi estis. ergo eius vestigia debetis sequi. dicit ergo, Eratis, supple, in statu gentilitatis, sicut oues errantes, scilicet extra viam veritatis: sed conuersi estis nūc ad pastorē, & episcopū animarum vestrarū. bene ergo dicit, Eratis enim, supple infirmi, diuersitate peccatorū errantes; & eorū animorū mobilitas, & variatio notatur, cū dicitur, sicut oues.] nam sicut oues volubiles, & facilè sunt mobiles, quia, vna proijciente se in aquam, omnes aliæ post eam vadunt: sic est ex multitudine populari, quia, quod vnus affirmat, omnes confirmant, siue bonum, siue malum sit illud. eratis ergo mobiles, & volubiles, & non stabiles. deinde cum dicit, Errantes.] notatur cæcitas eorum intellectus, quia quilibet eorum dicere poterat, Erraui sicut ouis, quæ perijt. deinde cum dicit, Nunc autem.] notatur errantium cōuersio, cum dicit, Nunc autem, quia sumus mortui peccatis, quia nobis non amplius dominantur, quia ipse CHRISTVS illa nostra peccata pertulit super lignum Crucis, & illa cruci affixit, ne amplius ad nos redirēt, si iustè tamen vixerimus, nunc dico, tempore gratiarum, conuersi estis, supple, ad CHRISTVM, cū duplici nutrimento. primo corporali, quod notatur, cum dicit Ad pastorem, secundo, cum cibo spirituali, scilicet vitiorum correptione, quod notatur, cum dicit Ad episcopum, idest visitatorem, & speculatorem animarum. debent ergo prælati subditos pauperes pascere corporali nutrimento ex patrimonio ecclesiæ, quia pastores sunt; & debent pascere spirituali nutrimēto, a vitijs, & erroribus purgando, per prædicationes suas; debent pascere eorum vitæ sanctitatem: debent corrigere per iustitiæ seueritatem rebelles, & incredulos.

Ex imitatione Christi, in ueritate doctrinę, ratio 9.

Errantium conuersio.

Pastorū officium, Subditos duplici alimento nutrire.

CAP.

CAP. III.



IMILITER & vxores subditæ sint viris suis; vt & si qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem, sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conuersationem vestram, quarum ornatus non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut amictus vestimentorum: SED, QUI absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in cõspectu DEI locuples. Sic enim quondam, & sanctæ mulieres, sperantes in DEO, ornabant se, subiectæ proprijs viris, sicut Sarra obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans, cuius estis filiæ, benefaciẽtes, & nullo timore perterritæ. Viri similiter, cohabitantes secũdùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam & cohæredes gratiæ vitæ, vt non impediantur orationes vestræ. Textus particula 8.

SVPRA Apostolus hortatus est Dominos, & seruos; nunc proponit quatuor, hortando viros, & mulieres: & primò hortatur mulieres ad virorum subiectionem. 2. ponitur ipsorum virorum vtilitas. 3. quòd ex parte mulieris debet esse puritatis intentio. 4. ab imitatione sanctæ mulieris. 5. adhortatur viros ad honorem suis vxoribus reddendum. & primo intẽdit talem rationem, Sic se habeant mulieres, respectu virorum suorum, sicut inferiores debent se habere respectu suorum superiorum: sed inferiores debent suis superioribus esse subiecti: ergo & mulieres debent esse subiectę suis viris. Continuetur ergo sic litera, dictum est, quòd serui debent obedire dominis suis, similiter & mulieres subiectę sint viris suis.] non quidẽ adulteris viris, sed legitimis. deinde cum dicit, Vt & si qui non credunt.] hic ponitur vtilitatis consecutio ipsorum virorum, sic, Illa subiectio est laudanda in mulieribus, ex qua consurgit magna vtilitas ipsorum virorum: sed, ex humili subiectione mulieris, consurgit magna vtilitas virorum: ergo illa subiectio mulierum est laudabilis; quia, per mulieres humiles, aliquãdo virorum cõuersio secuta est, vt patet de Cęcilia. dicit ergo, Benè dico, quòd mulieres debent subijci viris suis, ut si qui, supple uiri, & mariti earum non

Hortatur uiros, & mulieres, ex quinque

1. Hortatur mulieres, ut subiectæ sint uiris.

2. Ponitur consecutio utilitatis uirorum.

credunt uerbo, scilicet euangelij; per mulierum conuersationem, sanctam, sine uerbo, scilicet prædicationis, lucrifaciant, idest ad fidem conuertant. deinde cum dicit, Considerantes cum timore.] hic ponitur ipsarum mulierum puritatis intentio, sic, Illę mulieres habent puritatis intentionem, quæ non curant de ornamento exteriori; sed puritatem quærũt ipsius conscientiæ interioris: sed uos mulieres gentilium dispersorum, propter nomẽ Domini, debetis habere puritatis intentionem: ergo non debetis curare de ornamento exteriori. dicit ergo, Bene dico, quòd uos mulieres debetis ita honestè, & sanctè conuersari cum uiris uestris, ut possitis eos lucrari, & ad fidem conuertere, considerantes, uel conseruantes semper in timore castã conuersationem uestram: quarum mulierum ornatus non sit extrinsecus capillatura, idest non sit extrinsecus ornatus capillorum, & non sit extrinsecus ornatus circundatiò auri, aut amictus uestimentorum, scilicet cultus, aut ornatus exterior: sed, supple, uobis sit talis ornatus, scilicet, qui abscõditus est homo in incorruptibilitate spiritus, quieti, & modesti, qui quidem spiritus modestus, & quietus est in conspectu DEI locuples, idest diues, & abundans in spiritualibus, quasi dicat, Vos mulieres nõ debetis ornare hominem exterius, corruptibilem, idest corruptibile corpus, per huiusmodi ornamenta: sed magis debetis honorare, & ornare hominem interius incorruptibilem, idest animam, qui homo incorruptibilis est, & locuples, & diues in conspectu DEI, scilicet in bonis spiritualibus, & DEI imago; ideo dicit, Sed, qui abscõditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti spiritus, & modesti.] quasi dicat, Ille, qui absconditus est homo spiritualis, & incorruptibilis, modestus, respectu aliorum, & quietus sibi, talis est ornandus, ut, eius pulchritudine spirituali, diues appareat in cõspectu Domini. deinde, cum dicit, Sic enim.] nunc introducit exemplum mulieris veteris testamenti sic, Filiæ debent imitari matrem suam: sed uos mulieres, præsentis temporis, estis filiæ Sarræ uxoris Habraę. ergo, in ornamentis, debetis illam imitari, hoc est ergo quod dicit, Sicut enim idest aliquando, scilicet, ante tempus gratiæ, sanctæ mulieres sperantes in DEO, non, supple, in ornatu exteriori auri, & uestimentorum ornabant se tales: sed sic se ornabant, vt subiectæ essent suis uiris, sicut Sarra obediebat Habrææ, Dominũ suũ illũ uocans, cuius, uos mulieres estis, filiæ, benefacientes, scilicet imitando ipsam, benefaciendo & obediẽdo reuerẽter uiris uestris, nullo timore perterritæ, idest nõ timentes ullam turbationẽ. deinde cũ dicit, Viri similiter.] nunc hortatur uiros ad reddendum debitum honorem uxoribus suis, sic, Illas personas debent homines honorare, quas honorando, honorant se ipsos: sed, uiri, honorando uxores suas, honorant se ipsos: ergo debent illas honorare. dicit ergo, Vos uiri similiter cohabitantes cum uestris uxoribus, secundùm scientiam, id est in sciendo, in faciendo ipsas scire, &

3. Intentio puritatis mulierum.

4. Ab exemplo sanctæ mulieris.

5. Adhortatur uiros ad honorẽ coniugibus reddendũ.

scire, & instruendo, quòd quando vxoribus estis impartientes honorem secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri: & quia infirmior, & impotens est ex se ad huiusmodi; ideo vir ei impartiatur honorem, & eruditionem, tanquam cohæredibus, idest tanquam cohæredes simul gratiæ vitæ, scilicet æternę, ne impediantur orationes vestræ, idest, vt conseruetis vos sine peccato, quod est impeditiuum orationis, ne DEO placeat.

IN summa autē omnes Unanimes Compatientes fratruū, amatores, misericordes, modesti, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: sed è contrario, benedicentes, QUIA in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis. QUI enim vult vitā diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo, & labia eius ne loquantur dolum. DEclinet a malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam; QUIA oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala.

Textus particula 9.

Postquam Apostolus instruxit particulariter diuersas conditiones, & status hominum: nunc vniuersaliter instruit omneis simul ad honestam, & sanctam conuersationem. primò enim ponuntur, quę faciunt ad sanctam conuersationem habendam. 2. habetur dictorum confirmatio ex prophetia, circa linguam coercēdam. 3. omnium dictorum probatio prophetica, quantum ad operationem debitam. 4. ponitur confirmatio, & roboratio, ex præmij expectatione. primùm itaq; adhortatur, tali ratione, Illi debent sanctè, & honestè conuersari, qui debent perpetuò simul cohabitare: sed vir, & vxor debent perpetuò simul cohabitare: ergo debent sanctè, & honestè simul conuersari. dicit ergo, vos, supple, viri, & mulieres omnes vnanimes sitis, vt nec cogitatione discrepetis, scilicet in fide, & moribus bonis, vel vnanimes estote in oratione, quia charitas, & fidelitas per orationem cōseruatur, sitis etiam compatientes, idest alter alterius onera portantes: sitis etiam fraternitatis amatores, idest ad inuicem diligite: sitis misericordes, scilicet circa proximos, modesti in moribus, humiles in corde, non reddentes malum pro malo, idest malum opus pro malo opere recepto; quod tamen, secundùm iustitiam secularem, videtur iustè posse fieri; vel non sitis reddentes maledictum pro maledicto, idest malū verbum pro malo verbo recepto: sed ē contrario, supple, benedicētes estote, idest bona imprecantes, quia in hoc vocati estis, scilicet a Domino, vt benedictionem, quæ, supple, dicetur vobis in fine mundi, Venite benedicti patris mei, hæreditate possideatis, idest iure hæreditario, & sic firmā spem in eam habeatis. deinde cum dicis, Qui enim vult.] ponitur dictorū confirmatio

. Omnes in uniuersum inducit ad honestā cōuersationē, ex 4.

1. Quæ faciunt ad habendā sanctam conuersationē.

2. Dictorū cōfirmatio ex propheta, de cōpescenda lingua.

firmatio ex dictis prophetæ: & primo ponit talem rationem, Illi, qui volūt ad vitam æternam peruenire, debent, iuxta testimonium propheticū, constringere linguam suam a malo, & labia sua, sic quòd non debeat loqui dolum: sed vir, & vxor debent hoc velle, scilicet, peruenire ad vitam ęternā: ergo debent constringere linguam, & labia. dicit ergo, Qui enim vult vitā diligere, & videre dies bonos, coerceat linguam suam a malo, idest interius non murmuret, & labia eius ne loquantur dolum, idest exterius non proferat aliquod verbum dolosum, vel deceptorium. deinde cum dicit, Declinet autem.] hîc ponitur confirmatio prophetæ, quantum ad debitam operationem, sic, Illi, qui volunt sanctam, & immaculatam vitam ad inuicem habere, debent a malo declinare, & facere bonum, & ipsam pacem ex toto quærere conatu: sed vos viri, & vxores debetis hoc velle, scilicet habere sanctam immaculatam vitam ad inuicē. ergo, è testimonio prophetæ, debetis esse ordinati, nō solùm in locutione, verum etiam in operatione. ideo quilibet vestrum declinet a malo opere, & faciat bonum opus: inquirat pacē, & prosequatur eam, quasi dicat, Qui pacē in se ipso vult habere, hoc faciat, Declinet a malo, per contrarij exclusionem, & faciat bonum, per eius procurationem: inquirat pacem, per eius actus manifestationem, & prosequatur eam, per temporis continuationem. deinde cum dicit, Quia oculi Domini.] hîc ponitur confirmatio prophetę, quo ad præmij expectationem, sic, Illi debent iustam, & sanctam conuersationem habere, & vitam, qui expectant a DEO præmium: sed vir, & vxor expectant a DEO præmium: ergo debent habere iustam, & sanctam vitam. dicit ergo, Benè dico; quòd quilibet debet inquirere pacem, & prosequi eam, quia oculi Domini, supple, in protegendo, sunt super iustos, & aures eius in preces eorū, supple, in exaudiendo: sed vultus domini, idest iustitia, supple, in puniendo super facientes mala, & non pœnitendo, sed perseuerando.

3. Probatio dictorū, testimonio prophetico quātum ad debitā operationem.

4. Confirmatio prophetæ, quo ad premij expectationem.

Textus particula 2.

ET Quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? sed & si quid patimini, propter iustitiam, beati. timorē autem eorum ne timueritis, & non conturbemini. Dominum autem DEUM sanctificate in cordibus vestris, PARATI semper ad satisfactionē omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe: sed cum modestia, & timore, conscientiam habentes bonam, vt in eo, quod detrahunt vobis, tanquam malefactoribus, confundantur, qui calumniantur vestram bonā in CHRISTO conuersationem. MELIUS est enim, benè facientes (si voluntas DEI velit) pati, quàm malefacientes, quia, &

CHRISTUS

CHRISTVS semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret DEO; mortificatos quidem carne; viuificatos autem spiritu, in quo & his, qui in carcere erant, spiritibus, veniens, prædicauit, qui increduli fuerant olim, quando expectabant DEI patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est octo animæ, saluæ factæ sunt, per aquam, cui nunc simile baptisma, nos quoque saluos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in DEVM, per resurrectionem IESV CHRISTI, qui est, in dextera DEI, profectus in cælum, subiectis sibi angelis, & potestatibus, & virtutibus.

Hic nunc ponitur per ordinem omnium prædictorum probatio ex quatuor; & primò, Quòd matrimonialiter coniuncti debent sanctam dilectionem habere ad inuicem ex certa securitate. 2. probat ex eorum sanctificatione. 3. ex detrahentium confusione. 4 ex malorum meritoria toleratione. 5. ab exemplo Christi. 6. ex præfiguratione salutis. 7. ex institutione baptismi. 8. ex notificatione Christi, salutis authoris; & primò sic, Illi debent immaculatam vitam seruare, per diuinam dilectioné, per cuius dilectionem subterfugere possunt omnia pericula: sed illi, qui sunt matrimonio coniuncti, debent subterfugere omnia pericula mundana. ergo debent immaculatam vitam seruare, per diuinam dilectionem, qua cauentur pericula. dicit ergo, Benè dico, quòd vita vestra debet esse immaculata, declinando a malo, & faciendo bonum, quia quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?] quasi dicat, si fueritis CHRISTI imitatores, vel veri CHRISTI amatores, quasi dicat, nullus vobis nocebit, immo vobis proderit, si aliquid mali vobis irrogabitur a malis hominibus, quia diligentibus DEVM, omnia cooperantur in bonum, & tunc vestram patientiam exercebunt; vnde subditur, & si aliquid patimini, propter iustitiam tenendam, vel assequendam, vel defendendam, scilicet propter fidem, & bonos mores, vel propter DEVM, & proximum, tunc beati, scilicet eritis. ideo timorem eorum, scilicet inferentium vobis mala ne timueritis, intus in anima, & non conturbemini exterius in corpore. deinde cum dicit, Dominũ autem.] ponitur secunda ratio, sumpta ex eorum sanctificatione, sic, Illi, qui volunt habere immaculatam conuersationem ad inuicem, debent habere sanctitatem in corde, veritatem in ore, & bonam conuersationem in opere: sed coniugati volunt atq; debent habere immaculatã cõuersationẽ: ergo de-

Antedictorum probationes, octo

1. Securitas quam diuina præstat dilectio.

2. Sanctificatio eorũ coniugatorũ.

ergo debent ista tria in sese habere. dicit ergo, Dominum autem CHRISTVM sanctificate in cordibus vestris, idest sanctitas CHRISTI non recedat a vestra anima,& a vestro amore, quin CHRISTVM semper intimo aspectu cordis intueamini, quia, secundùm glossam, qui hanc sanctitatem non considerat, deficit ab insidijs hostis, quasi non habens auxiliatorem, & sic parati semper sitis ad satisfactionem omni poscenti, scilicet debitũ, vel omni interroganti vos rationẽ reddere de ea spe, quæ in vobis est, idest de re, quam speratis in æterna gloria, hîc per fidem, illic per visionem, & hoc cũ modestia,& timore Domini, scilicet cõscientiam habentes bonam, sine remorsu offensę DEI, vel proximi, vt quod exterius ostenditis, per modestiam, interius retineatis per timorem Domini. deinde cum dicit, vt in eo,
3. Detrahẽtiũ cõfusio quod detrahunt de vobis.] hîc ponitur ratio, sumpta ex detrahentiũ confusione, sic, Illorum vita, & conuersatio est immaculata, quam calumniãdo, diffamandoq́;, mali homines tandem confunduntur: sed talis debet esse vita viri, & vxoris: ergo illorum vita, & conuersatio debet esse sine macula,& sine defectu. ideo dicit, Bene dico, quòd vos coniugati conscientiã debetis habere bonam, vt in eo, quod detractant de vobis, & calumniantur vestram bonam in CHRISTO conuersationem, confundantur, idest postea vos in bono sequantur, vel per rationem, & veritatem conuincantur, vel confusione repleantur. deinde cum dicit, Melius est enim.] poni-
4. Toleratio malorũ meritoria. tur 4. ratio sumpta ex malorum meritoria toleratione, sic, Illorum vita est DEO placita, qui quandoq; bona facientes, mala tolerant patiẽter: sed vir, & vxor, aliquando bona facientes, mala patiuntur. ergo eorũ vita est DEO grata. dicit ergo, meliùs est enim benefacientes (si velit DEI voluntas) pati, quàm malefacientes.] scilicet pati. ideo, secundùm glossam, meritò
Tutius, pati pro benefactis, quã pro malefactis, propter 3. debetis pati calumniatores, & non confundemini, quia tutius est vobis, pro benefactis, quàm pro malefactis, pati. primò propter diuini placiti impletionem. 2. propter diuinam retributionem. 3. propter proximorũ ædificationem. deinde cum dicit, Quia & CHRISTVS.] hîc, ad prædicta com-
5. Exemplũ Christi domini. manda, ponitur CHRISTI exemplum, sic, Illorum cõuersatio, & vita est immaculata, & DEO placita qui ipsum CHRISTVM imitantur, in benefaciendo, & mala patiendo: sed vos coniugati debetis habere vitam,& conuersationem immaculatam. ergo debetis CHRISTVM imitari in benefaciendo, & mala patiendo. dicit ergo, Bene dico, quod melius est, benefacientes pati, quàm malefacientes, quia & semel CHRISTVS pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis; vt nos offerret DEO.] scilicet patri, mortificatos quidem carne.] idest absolutos a carne, idest a carnalibus impedimentis: viuificatos autem spiritu.] idest donis spiritualibus; vt nos sic in vitam spiritualem introduceret. in hoc ergo CHRISTVS est imitandus, hoc est in benefaciendo, & mala sufferendo, quia ipse, benefaciendo, pertransiuit,

transiuit, & tamen mortuus est, nõ pro malis suis, quia iustus in se: sed pro iniustis mortuus est, scilicet nobis iniustis, vt nos offerret Deo, mortuos carne, viuentes autem spiritu, idest, anima, & vita spirituali. deinde cum dicit, In quo.] scilicet spiritu, ponitur præfiguratio nostræ salutis per Arcã Noe, sic, Illorum vita debet esse immaculata, quorum salus præfigurata fuit per Arcam Noe. sed coniugatorum salus, idest viri, & mulieris, fuit figurata in Arca Noe. ergo coniugatorum vita debet esse immaculata, quasi dicat virorum, & mulierum, & generaliter omnium saluandorum. dicit ergo, in quo, scilicet spiritu, & his, qui in carne erant, idest in carnalibus desiderijs viuent. s.] supple, spiritualiter veniens, prędicauit, idest specialiter docuit, scilicet ipsum Noe, per quem prædicauit his, qui increduli erant aliquando, idest quando expectabant, scilicet tentantes DEI patientiã in diebus Noe, cum fabricaretur Arcam. nam ipsa fabricatio arcæ erat quædã præparatio incredulis, qui, non credentes diluuium fieri, per diuinam patientiam, omnes perierunt, eò quòd ad pænitentiã induci noluerunt, per centũ annos, quibus Noe fabricauit arcam, atque ad cor reuerti. vnde subdit, In qua, scilicet arca, pauci, idest octo animæ.] idest octo personæ saluæ factæ sunt, scilicet per Arcam, hoc est, vt non perirent, per aquę diluuium, scilicet Noe, & vxor eius, tres filij, & vxores filiorum eius. deinde cum dicit, Quia & nunc.] ponitur modò Baptismi institutio, quo spiritualiter in CHRISTO regeneramur, & a peccati labe liberamur, sic, Illorum conuersatio debet esse sancta, & immaculata, qui sunt per baptismũ regenerati, & per CHRISTI passionem: sed vir, & mulier sunt tales, scilicet per baptismum regenerati, & per CHRISTI passionem a peccato liberati. ergo eorum vita debet esse immeculata, & sancta cõuersatio. dicit ergo, quòd & nunc simile, vel similis formæ facit baptismus, quasi dicat, Illud idem, quod faciebat, vel fecit Arca Noe corporaliter, & corpora saluando, illud idem facit modò baptismus, spiritualiter saluando animam, & lauando corpora. nam, sicut, per illam arcam, facta est salus corporalis humani generis: sic & modò fit saluatio spiritualis humani generis, per baptismum, non figuratè tamen; sed realiter. vnde subdit, Non carnis depositio sordiũ.] scilicet nos saluat, vel mundat: sed conscientiæ interrogatio in Dominum] scilicet nos saluat, idest, quando ad interrogationem Ecclesiæ dicitur ostendere suam bonam conscientiam, & suam fidem esse in dominum, vel per se, si est adultus, vel per suum parochum, si est paruulus; & hanc fidem debet protestari, per resurrectionem IESU CHRISTI Domini nostri, vt scilicet sic credat, vt, sicut CHRISTUS surrexit a mortuis, per gloriam patris: ita & nos purgati a vitijs, per baptismum, vel pænitentiam, in nouitate vitæ spiritualis, ambulemus. deinde cum dicit, Qui est.] hîc ponitur CHRISTI notificatio, qui hanc nostram salutem operatur, sic, Illorum vita debet esse imma-

6. Præfiguratio salutis.

7. Baptismi institutio.

8. Notificatio Christi, salutis authoris.

culata, propter quos CHRISTVS mortuus est, & resurrexit. sed propter viros, & mulieres CHRISTVS est mortuus, & resurrexit. ergo viri, & mulieres debent esse vita immaculata. dicit ergo, Benè dico, quod fides vestra debet esse in Dominum, per resurrectionem IESV CHRISTI, qui CHRISTVS est Dominus, ratione Diuinæ maiestatis; est noster, per assumptionem humanitatis, & est IESVS saluator noster, & CHRISTVS rex, & sacerdos noster, DEVS, & homo, qui quidem IESVS CHRISTVS est in dextera DEI patris, idest in potioribus bonis ipsius patris, vel ad æqualitatem patris, ratione æternæ generationis, qui CHRISTVS est deglutiens mortē.] idest sponte gustans mortem, quia oblatus est, quia ipse voluit sponte, tanquam gustans mortem; & hoc per eius, idest per suam passionem: & hoc, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur, qui CHRISTVS, per suam passionem, idest merito suæ passionis, post resurrectionem suam, profectus in cœlum, idest super omneis creaturas, subiectis sibi angelis, quò ad primum ordinē, & subiectis sibi potestatibus, quò ad secundum ordinem, & subiectis sibi potestatibus, quò ad secundum ordinem, & subiectis sibi virtutibus quò ad tertium ordinem, quasi dicat assumptus est super omneis creaturas corporales, & spirituales.

CAP. IIII.

Textus particula xi.



HRISTO igitur passo, pro nobis, carne, & vos eadem cogitatione armamini, quia, QVI passus est in carne, desijt a peccatis, Ut iam nō desiderijs hominū, sed voluntate DEI, quod reliquum est, in carne viuat, temporis. sufficit enim præteritum vitæ tempus, vt voluntatem gentiū perfecerimus, cum ambularemus in luxurijs, desiderijs, vinolentijs, commessationibus, potationibus, & nefarijs idolorum cultibus, in quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ refusionem, blasphemantes: qui reddent rationem ei, qui paratus est iudicare viuos, & mortuos. propter hoc enim, & mortuis euangelizatum est, vt iudicentur quidem secundùm homines carne: viuant autem secundùm DEVM spiritu. OMNIVM autem finis appropinquauit.

Posita

POSITA superius instructione liberorum, & seruorum, virorum, & vxorum, nunc specialiter docet, in tribulationibus, CHRISTVM esse imitandum, ex quatuor. primo in carnis mortificatione. 2. ex malorum prauitate. 3. ex vtrorumq; status prauitate. 4. ex iudicij vicinitate. & circa primum dicit hoc modo, Quicunq; volunt desistere a peccatis, debent in se ipsis carnis mortificationem habere, conformando se CHRISTO, passo in carne: sed vos gentiles dispersi, propter CHRISTVM, debetis habere carnis mortificationem. ergo debetis vos CHRISTO passo in carne conformare. dicit ergo, CHRISTO igitur in carne passo.] non, supple in diuinitate: sed vos eadem cogitatione armamini, parati, supple pro ipso pati, sicut ipse pro nobis passus est. & hoc propter vtilitatem vestram, quia, qui passus est in carne, desiit, idest desistit a peccatis, vt iam non hominum desiderijs; sed in voluntate DEI quod reliquum est temporis, in carne viuat.] quasi dicat, quòd ille, qui in carne patitur tribulationes, reliquum tempus præsentis vitæ non ponat in desiderijs carnalibus; sed potius in voluntate DEI, & hoc, quoniam sufficit præteritum tempus, idest sufficere debet ad voluntatem gentium consummandam, & perficiendam, scilicet mundanorum, moreq; mundano præteritum tempus exposuisse. sufficiat tamen, quòd nunc reliquum est futurum ponamus, & expendamus non in carnalibus voluptatibus; sed potius in voluntate DEI perficienda. deinde cum dicit, Cum ambularemus.] nunc inducit illos gentiles ad carnis mortificationem, ex malorum prauitate, tali ratione, Quicunq; volunt vitare prauitatem hominum, viuentium in carnalibus desiderijs, debent in se ipsis habere carnis mortificationem: sed vos gentiles debetis habere carnis mortificationem ergo vitare debetis prauitatem hominum, viuentium in carnalibus desiderijs. dicit ergo, Bene dico, quòd debetis pati in carne vestra, vt possitis desistere a peccato, quia illi, qui ambulauerunt in luxurijs venereorum, & in desiderijs cogitationum, in violentijs proximorum, in commessationibus, & potationibus vinorum, & in illicitis, & nefandis idolorum cultibus, in quibus omnibus, post perpetrationem ipsorum malorum, confundimur. deinde cum dicit, In quo admirantur.] hic inducit eos ad carnis mortificationem, ex vtrorumq; status difformitate sic, Illi, qui volunt, uitam suam esse difformem a vita malorum, & carnalium hominum, debent in se ipsis habere carnis mortificationem: sed vos gentiles debetis uelle habere uitam difformem a uita malorum: ergo debetis habere carnis mortificationem. dicit ergo, In quo admirantur, quasi dicat, Vos boni carnē vestram crucifixistis simul cum uitijs, & concupiscentijs uestris: ideo, propter hoc, mali admirantur, nō concurrentibus uobis cum ipsis in eandem luxuriæ confusionem, in qua, supple, currebatis prius cum eis: & ex hoc ipsi mali sunt, Dominum blasphemantes, & inhonorantes: tamen de eorum bla-

Hortatur specialiter ad carnis mortificationem, ex quatuor. 1. Ex imitatione Domini, in carne passi.

2. Ex abiectione prauitatis.

3. Ex difformitate status utrorumq;.

rum blasphemiis non est curandum, quia ipsi de hoc reddent rationem, scilicet CHRISTO, qui paratus est iudicare uiuos, & mortuos, id est bonos, malosq́, quia constitutus est a DEO patre iudex uiuorum, & mortuorum. deinde cum dicit, Propter hoc enim.] hîc hortatur eos ad carnis mortificationem, ex iudicii propinquitate, sic, Quicunq; debent a DEO iudicari de propinquo, secūdùm quæ gesserūt in carne, debēt in se habere carnis mortificationem: sed uos gentiles estis tales, quòd a DEO de proximo debetis iudicari: ergo debetis habere carnis mortificationem. dicit ergo, Propter hoc enim, id est propter hoc, quia uidelicet debent reddere rationem in iudicio mortuis, id est existentibus in peccato mortali euangelizatum est hoc scilicet, ut iudicentur quidē secundùm homines, in carne, id est secundùm illa, quę gesserunt in carne, ne scilicet taliter uiuunt: sed magis uiuant secundùm spiritum, id est spiritualiter; & sic secundùm illa; tunc iudicentur. & uerè est uiuendum spiritualiter, quia finis omnium, id est dies iudicii, appropinquabit.

4. Ex propinquitate iudicij.

Textus particula 12.

ESTOTE itaq; sobrij, & vigilate. ante omnia autem, mutuam inter vos charitatem continuam habentes: quia Charitas operiet multitudinem peccatorum. hospitales inuicem, sine murmuratione. UNUSquisque, sicut accepit donum, mutuò in vos illud administrantes: sicut boni dispensatores multiformis gratiæ DEI. SI quis loquitur, tanquam sermones DEI. SI quis ministrat, tanquā ex virtute, quā subministrat DEUS, vt in omnibus glorificetur DEUS, per IESUM CHRISTū: cui est gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

NUNC docet, CHRISTUM fore imitandum, in tribus. primò in charitatis dilectione, nos purificante, ac perficiente. 2. in misericordiæ exhibitione, proximum subleuante. 3. in DEI locutione, Dominum glorificante. & circa primum intendit talem rationem, Quicunq; uolūt in seipsis perfici, & ab omnibus peccatis purificari, debent habere charitatem, quæ operit multitudinem peccatorum: sed uos gentiles uultis, aut debetis hoc uelle, scilicet in uobis met ipsis perfici: ergo debetis habere charitatē. continuatur autem sic litera, Dictum est, quòd omniū finis appropinquauit, & quòd incerta est hora mortis, & finis uniuscuiusq; : ideo estote prudentes.] scilicet in intellectu, ne decipiamini per falsam doctrinam, uel malorum uersutiam: & uigilate.] id est uigiles sitis, & attenti estote in orationibus. quia, licet Dominus orationibus non flectatur, neq; mutetur ab eo, quod iam disposuit: tamen, per preces, & orationes nostras, uult, nos sua

Monet, in tribus, imitandum esse Christum. 1. In charitatis dilectione.

doná quærere, &, his medijs, donare. Estote ergo firmi, & recti in affectu: prudentes in intellectu: vigilantes in orationibus, idest in operationibus bonis. etenim QVI semper benefacit, semper orat. & ex his habetur charitatis notificatio, quantùm ad dispositionem subiecti, debentis illam recipere. deinde cũ dicit, Ante omnia.] describitur charitas tripliciter. & primo quantũ ad eius primitatem. nam ante omnia homo debet habere ipsã charitatem; quia sola ipsa est radix merendi, nec aliæ virtutes sunt meritoriæ, nisi maneant in charitate. * 2. describitur eius ordo, quò ad eius cómunitatem in eo, quod subdit, mutuã in vobis metipsis. nam mutua, & communis debet esse in nobis charitas. * 3. describitur ordo charitatis, quò ad eius continuitatem in eo, quod sequitur, charitatem continuã habentes.] nam continua charitas debet esse in nobis. igitur omnes, volentes habere charitatem, debent recipere illam in tali ordine, quia debent eam habere ante omnia, propter eius primitatem; debent illam habere mutuã, propter eius communitatem; & debent eam habere continuam, propter eius continuitatem. charitatem, inquam, mutuam sitis habẽtes, quoniam charitas operit multitudinem peccatorũ, quia facit nos charos DEO, peccata operiendo, & mortificando. quia ipsa sola diuidit inter filios regni cœlestis, & filios perditionis. deinde cum dicit, Hospitales.] hîc docet, CHRISTVM esse imitandum in misericordiæ exhibitione sic, Quicunq; volunt esse ordinati ad proximum suum, debent eius indigentiam subleuare: sed vos gentiles debetis esse ordinati ad proximum vestrũ: ergo debetis CHRISTVM imitari, in misericordiæ exhibitione. dicit ergo hospitales, scilicet sitis in inuicem, idest vnus alterũ recipiat hospitio, sine murmuratione, idest sine tristitia, quia talis proximi receptio debet esse læta, & benigna. vnusquisq; etiam sicut accepit gratiam a DEO, idest donum spirituale, vel temporale, in alterutrum sitis illam gratiam, vel donum administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ DEI, quæ, scilicet gratia est multiplex, & copiosa, quæ dat abundanter se; & vos copiosè, & abundanter dare debetis. deinde, cum dicit, Si quis loquitur.] hîc docet, CHRISTVM esse imitandum, in DEI locutione, Dominum clarificante, sic, Quicunq; volunt esse ordinati, in conspectu DEI, debent omnes suas glorias, & locutiones in DEI gloriam ordinare, & omnia beneficia a DEO recognoscere: sed vos gentiles debetis velle esse ordinati in conspectu DEI. ergo debetis omnes locutiones vestras ordinare in gloriam DEI, & beneficia ab eo cognoscere. dicit ergo, si quis loquitur, quasi sermones DEI, quasi dicat, semper sermones nostri debent esse de DEO, & si quis, supple, aliquod bonũ opus impendat; hoc humiliter, tanquam ex virtute, quam administrat DEVS; quia non habet homo a seipso, quòd bonum aliquod impendat, sed a solo DEO, & hoc, vt tamen omnibus, scilicet bonis impensis, & receptis, ho-

Charitas describitur trifariam. 1. Quantũ ad excellentiam, & primitatem. *2. Quò ad eius cõmunitatem. *3. Quo ad ordinem.

2. Christũ imitãdum, in exhibitione misericordiæ.

3. Christũ imitãdum, in Dei locutione.

norificetur DEVS per IESVM CHRISTVM, idest meritis CHRISTI datorem, & largitorem omnium bonorum, ac mediatorem omnium, cui est gloria, honor, & imperium. gloria, inquam, sit IESV CHRISTO, idest claritas, splendor, frequens fama cum laude, & honor scilicet, idest reuerentia, & dignitas, & imperium sit IESV CHRISTO, idest dominium, & suprema potestas, & hoc in secula, consecutiua seculorum, idest semper, & sine fine, & postquam cessauerint hæc secularia, quę cum hoc seculo transibūt.

Textus particula 13.

CHARISSIMI, nolite mirari in examinatione, qua, ad tentationem, vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat: SED, COMmunicātes CHRISTI passionibus, gaudete, vt et, in reuelatione gloriæ eius, gaudeatis, exultantes: Si exprobramini in nomine CHRISTI, beati estis; quoniam gloria, & Spiritus DEI super vos requiescit. secūdùm illos quidem blasphematur, secundùm vos autem glorificatur. Ne quis enim vestrū patiatur, vt homicida, aut fur, aut maleficus, vt alienorum appetitor. Si autem, vt Christianus, non erubescat, glorificet autē DEVM in isto nomine, quoniam TEMpus est; VT incipiat iudicium a domo DEI. SI autē primum a nobis; QVIS finis eorum, qui non credunt DEI euangelio? ET si IVstus quidem vix saluatur: impius, & peccator vbi parebunt? Itaq;, hi, qui patiuntur, secundùm voluntatem DEI, vt fideli conditori, commendent animas suas, in benefactis.

Christum esse imitandum, per 8. rationes.

IN hac parte docet, CHRISTVM esse imitādum in bonorum operum continuatione: & diuiditur in octo partes: & primum est fortis tolerantia tribulationum. 2. CHRISTI passionibus communicatio. 3. diuini præmij consecutio. 4. peccatorum detestatio. 5. nominis CHRISTI prompta confessio. 6. bonorum afflictio. 7. malorum condemnatio. 8. diuini auxilij impetratio, & primò dicit sic, Omnes qui volunt continuare vitam suam in bonis operibus, non debent se peregrinos reputare a DEO, per tribulationes insurgentes, imò debent talia ęquanimiter tolerare: sed vos dispersi gentiles, debetis in bonis operibus perseuerare: ergo non debetis vos peregrinos reputare a DEO, per tribulationes insurgentes. dicit ergo, charissimi, nolite mirari in examinatione.] vel nolite mirari in feruore, quasi dicat nolite reputare, vos esse a Deo alienos, propter feruorem tribulationū, idest, quando multiplicatæ, & auctę fuerunt, quasi DEVS vos tunc relinque-

1. Fortis tolerantia tribulationū.

rit: quia

rit: quia feruor tribulationum vobis fit ad tentationem, & probationem vestram; & in hac cogitatione etiam nolite mirari, scilicet, si tribulationes vos premant, & crescant, quasi aliquid noui vobis contingat; quia, secundùm glossam, non est nouum, sed frequens, & antiquũ, electos DEI, propter ęternam salutem, in hoc presenti statu, tribulari. deinde cum dicit, Sed communicantes.] hîc ponitur 2. ratio, sic, Quicunq; vult suam vitam in bonis operibus continuare debet se CHRISTI passionibus conformare, & cum gaudio pati, pro CHRISTO: sed vos gentiles vultis continuare in bonis operibus: ergo debetis vos conformare CHRISTI passionibus, cum gaudio. dicit ergo, Bene dico, quòd non debetis vos peregrinos reputare, & quasi longe esse a DEO propter tribulationes, sed potius gaudere, communicantes, idest incorporantes vos passionibus CHRISTI, & hoc vt in reuelatione eius gloriæ, scilicet in die iudicij, gaudeatis in anima, & exultetis in corpore, idest signa lætitiæ detis interius, & exterius. deinde cum dicit, Si exprobramini.] ponitur 3. ratio, sic, Quicunq; volunt a DEO beatificari, & honorari, debent suam vitam in bonis operibus continuare, ne deficiant a fide, propter imminentes tribulationes: sed vos gentiles vultis a Deo beatificari, & honorari: ergo debetis vitam vestram continuare in bonis operibus, ne deficiatis, scilicet a fide, per tribulationes. dicit ergo, Bene dico, quòd debetis gaudere, in tribulationibus, & passionibus; quia, si exprobramini, in nomine IESV CHRISTI, idest, si, permanẽtes firmi in Christi nomine, idest in Christi fide, opprobria substinueritis; tunc beati estis, quoniam, quod est honoris, idest reuerentiæ; glorię, idest frequentis, & claræ famæ cum laude; &, quod est virtutis, & imperii ipsius DEI; & quod est eius spiritus, idest, quod est eius numinis, & diuinitatis, super vos totũ hoc requiescit, per participationem: quasi dicat, Spiritus Dei, & participatio spiritualis deitatis, quantum ad honorem, gloriam, & virtutem, super vos requiescit, per inhabitantem gratiam: quia, firmi in fide, exprobramini, & patimini. deinde cum dicit, Nemo autem.] ponitur 4. ratio, quæ talis est, Quicunq; volunt vitam suam continuam in bonis operibus continuare; debent ista peccata detestari; proximũm non offendere; nec pro suis offensionibus pati: sed vos gentiles vultis vitã vestrã cõtinuare in bonis operibus: ergo debetis peccata detestari, proximum nõ offendere, nec pro vestris offensionibus pati. dicit ergo, Bene dico, quòd debetis opprobria pati pro Christi nomine, & non pro secularibus negociis, nec pro sceleribus vestris. nemo ergo vestrum, quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor patiatur.] vbi notatur, quòd * proximũ offendere possumus in his quatuor, primò in persona propria, ipsum occidẽdo 2. suas res iniustè accipiendo. 3. in verbis, contra ipsum testimonium falsum dicẽdo. 4. in re, vel in persona illi coniuncta, vt puta rem, vel vxorem illius appetendo

2. Christi passionibus cõmunicare.

3. Diuini assecutio præmii.

4. Peccatorum detestatio.

* Proximũ lædimus in quatuor.
1. Eum occidendo.
2. Fraudando.
3. Falsum contra ipsũ testando.
4. Personã illi coniunctam appetendo.

tendo

tendo. & quantum ad ista quatuor, Apostolus dicit, quòd nemò debet pati, scilicet tanquam homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. deinde cum dicit, Si autem, vt Christianus.] ponitur nunc. 5. ratio, sic, Quicunq; volunt vitam suam in bonis operibus continuare, non debent erubescere, pati, pro Christi nomine; sed debent Deum glorificare, patiendo pro Christi nomine. sed vos gentiles debetis continuare vitam vestram in bonis operibus: ergo non debetis erubescere pati, pro Christi nomine: sed debetis Deum tunc glorificare. dicit ergo, Bene dico, quòd vos non debetis pati pro vestris sceleribus, quia sic non reciperetis premium; sed, si, vt Christianus, aliquis vestrum patiatur, non erubescat, idest nó debet verecundari pati, pro confessione nominis Christi; imò tunc magnificet Deum, idest laudibus Deum extollat in isto nomine, idest in passione, quam patitur pro tali nomine. deinde cum dicit, Quoniam tempus est.] hic ponitur. 6. ratio, quæ talis est, Quicunq; volunt vitam suam in bonis operibus cótinuare; debent multas tribulationes in præsenti vita tolerare; quia, per multas tribulationes, oportet, nos intrare in regnũ Dei: sed vos gentiles debetis velle vestram vitam continuare in bonis operibus: ergo debetis multas tribulationes pati, in vita pręsenti. dicit ergo, Bene dico, quòd quilibet debet Dominum glorificare, patiendo, pro Christi nomine; quoniam tempus est, quòd incipiat iudicium a domo Dei, idest a sanctis fidelibus, iustisq; viris, in quibus Deus inhabitat: sed, si prius incipiat a nobis, scilicet iudicium tribulationis; quis finis eorum, qui non crediderunt euangelio?] quasi dicat, Nunquid relinquentur sine pœna? manifestum est, supple, quòd nón; quia scriptum est, Matth. vlt. Qui non crediderit condemnabitur. in præsenti enim iudicium, idest tribulatio, & angustia incipit a domo Dei, a iustis, & a viris religiosis, ut, per exercitia, & tribulationes mundi, ad gloriam æternam pręparentur: reprobi verò ducunt in bonis dies suos, puncto autem temporis ad inferna descendunt. deinde cum dicit, Et si iustus.] ponitur 7. ratio, sic, Illi debent continuare in bonis operibus vitam suam, quorum saluatio est valde dubia, & difficilis: sed vestra saluatio, o gentiles, est valde dubia, & difficilis: ergo, si vos gétiles estis tales, quòd vestra saluatio est dubia, & difficilis; ergo debetis vitam vestram continuare in bonis operibus. dicit ergo, Bene dico, quòd iudicium primò incipit a domo Domini, idest a viris iustis, qui sunt templum Domini spirituale, Et si iustus quidem vix saluabitur, impij autem, propter infidelitatem, vbi parebunt?] idest comparebunt, propter prauitatem operum ipsorum? quasi dicat nusquam comparebunt; & verè iustus vix saluabitur, quòd ait Augustinus, tantam esse Dei iustitiam; vt interdum, quod hominibus videtur in eorum iudicio iustum, iniustum, in Dei iudicio, inueniatur, & Gregorius dicit, Iustitia nostra, ad examen diuinæ iustitiæ deducta, iniustitia est

5. Imitandum Christum, per promptam sui nom. cófessionem.

6. Bonorũ afflictio.

7. Condemnatio malorum.

Verè iusti uix saluabuntur.

stitia est. deinde cum dicit, Itaq; & hi.] ponitur 8. ratio, quæ talis est, Quicunq; volunt vitam suam in bonis operibus continuare, debent diuinum auxilium implorare, & suo creatori animam suam commendare: sed vos gentiles debetis vitam vestram in bonis operibus continuare: ergo debetis Dei auxilium implorare, & animas vestras Deo commendare. dicit ergo, Bene dico, quòd debetis pati tribulationes in hoc mũdo, vt possitis in alio premiari. Itaq;, & hi, qui patiuntur inter vos, secundùm voluntatem Dei, commendent animas suas, in benefactis, idest in bonis operibus, suo fideli creatori; quia fidelis Deus non patietur, vos, per tribulationes, tentari supra id, quod potestis, id est supra vires vestras, ita vt succumbatis, & superemini ab illis: sed dabit adiutorium, vt sustinere possitis. 8. Principale, diuini auxilij impetratio.

CAP. V.

SENIORES, qui inter vos sunt, obsecro, consenior, & testis CHRISTI passionum, & eius, quæ reuelanda est, gloriæ, consors; PASCITE, Quantum in vobis est, gregem CHRISTI; PROuidentes nõ coactè, sed spontaneè: neq; turpis lucri gratia, sed voluntariè, neq;, vt dominãtes in cleris, sed formæ facti gregis. ET, cum APparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. Similiter, adolescentes, subditi estote senioribus. omnes autem inuicem subiecti, humilitatem insinuate. quia DEUS SUperbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Textus particula. 13.

IN hac parte Apostolus hortatur senes, & adolescentes, & primò hortatur senes ad instructionem iuuenum. 2. hortatur iuuenes, & subditos ad subiectionem seniorum, & intendit talem rationem, Illius personæ exhortatio est humiliter suscipienda, quæ habet in se humilitatem, antiquitatem, ueritatem testimonij Christi, & ipsius Christi familiaritatem; sed persona Petri habet omnia hæc: ergo eius exhortatio est humiliter suscipienda. dicit ergo, continuando, sic, Vsq; modo hortatus sum liberos, & seruos, uiros, & mulieres: restat nunc, ut exhorter iuuenes, & senes. hic ergo, scilicet Petrus, est alijs antiquior, tempore, & morum maturitate, & testis passionum Christi.] & eius, quæ in futuro reuelanda est gloria, communicator. ergo est Petrus talis persona, quę describitur, cuius admonitio, pro- Hortur senes, & adolescentes. Senes, ut iuuenes instruant. Iuuenes, ut subiecti sint senioribus. Exhortationis Christianæ partes. 4 1. Humilitas,

a. Antiquitas. 3. Veritas, p. testimo. Christi. 4. Christi familiaritas. * Petri admonitio placidè, & humiliter suscipienda, propter 4. partes illas, quæ hic habentur. *Familiaritas Petri cum Christo, ex tribus. * 1. Quòd Christū uidit, in monte, transfiguratum. 2. Gloriosū resuscitatū. 3. Ascendētem in cœlum. * Exhortatio & iniūctio Petri, a similitudine sui. *Gregis pascēdi ratio. *Quinq; ueri pastoris munia. * Prælatio enim. 1. Debet esse iniuncta, non quæsita 2. Volunta

ptēr hęc quatuor, meritò est suscipienda. * primò propter eius humilitatē, cum dicit, Obsecro.] potuisset enim, ex iniunĉto sibi officio, præcipere: sed obsecrabat, & per sacra orabat, dicendo, Obsecro vos seniores, & maiores. 2. describitur Petri persona a tempore, & morum maturitate, cum dicit Senior.] quia in antiquis est sapientia, & in multo tempore prudētia. 3. se describit a veritate testimonij Christi, cum dicit, Christi passionum.] quia testis fuit passionum Christi, quia vidit, ac etiam, experientiæ cognitione, nouit: quia pro Christo multa passus fuit. 4. se describit a Christi familiaritate, cū dicit, Et eius, quæ in futuro reuelanda, est glorię.] nam * ipse primo fuit communicator gloriæ Christi, quia vidit eum transfiguratū in monte. 2. vidit eum gloriosum resuscitatum. 3. vidit eum ascendentem in cœlum; & sic fuit communicator, & perceptor, & visor illius gloriæ in futuro reuelandę, in fine mundi. deinde cum dicit, Pascite.] hic ponitur eius exhortationis iniūĉtio & obseruatio, sic, Sicut se habet beatus Petrus respeĉtu Christi, sic debent se habere inferiores pastores ecclesiarum respeĉtu Petri; sed beatus Petrus suscepit humiliter curam ipsius Ecclesiæ & totius gregis Christianæ fidei, iniunĉtam sibi a Christo. ergo similiter, & vos seniores, & inferiores pastores debetis simili modo, & forma talem curam ouium Christi suscipere, ex precepto beati Petri. dicit ergo, Quòd cum sim senior vobis, & testis passionū Christi; ideo obsecro, * pascite gregē Dei, qui in vobis est, id est, qui vobis commissus est, non tamen coaĉtè, sed spontè, secundùm Dominum, id est amore Dei, vt neq; turpis lucri gratia, neq; vt dominantes in Clericis.] sed sic suscipite curam gregis, & ouium Christi, vt forma, & regula faĉti sitis gregis ex animo, id est ex mēte pura. & hoc, vt, cum apparuerit princeps pastorum, id est ille verus pastor Christus, percipiatis tunc, non nunc, immarcessibilem gloriæ coronam, in cœlis, non gloriam, & bona temporalia interim in terris. vbi tanguntur * quinq; per ordinem, quæ debet habere verus pastor. primum Prælatio debet esse præcepta, & iniunĉta, non quæsita prece, pecunia, vel seruitio. 2. prælatio debet esse voluntaria, quia prælati non debent pascere gregem, propter inopiam temporalium rerum: sed liberè & sponte tantùm ex amore, & intuitu tātùm supernæ mercedis. ideo dicit Apostolus, Prouidentes gregi sponte, non coaĉtè. 3. prælatura debet esse vitiorum extirpatiua, quia non debent prælati promoueri, nec promouere propter lucrum, aut commodū temporale; sed liberaliter, absq; spe præmij alicuius temporalis commodi. ideo dicit Nec turpis lucri causa, sed voluntariè. 4. debet exemplum humilitatis esse ipsis subditis. ideo dicit non dominantes in cleris, sed forma faĉti sint gregi, scilicet humilitatis, & ex animo, non coaĉtè vel simulatè. 5. debet esse prælatio fruĉtuosa, & meritoria, quia debent ipsi mysteria ecclesiastica ministrare, vt, per aduentū ipsius, scilicet Christi, qui est princeps, & primus

& primus pastorum verus, ac bonus pastor, possint immarcescibilem coronam accipere vnà cum grege sibi commisso. deinde cum dicit, Similiter adolescentes.] hic * hortatur iuuenes, & subditos ad debitam subiectionẽ, respectu seniorum. sic se habeant iuuenes, respectu seniorum; sicut se habẽt subditi respectu prælatorum suorum: & subditi debẽt obedire suis superioribus. ergo, & iuuenes debẽt esse subditi suis senioribus. hoc est ergo, quòd dicit, Similiter adolescentes subditi estote senioribus; sed etiam omnes humilitatem ad inuicem insinuate, & ostendite exterius in opere, & hoc, quia dominus, vel DEVS superbis resistit, scilicet humiliando in malum ipsorũ: humilibus autem dat gratiam, eos extollendo in bonum ipsorum.

ria, & amica.
3. Vitiorũ extirpatiua
4. Humilitatis exẽplũ.
5. Fructuosa, & meritoria.
* Subiectio iuuenũ in seniores.
Textus particula 15.

HVMILIAMINI igitur sub potenti manu DEI, VT vos exaltet in tempore, omnem solicitudinem vestrã projcientes in eum; quoniam ipsi cura est de vobis. SObrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens, quem deuoret, cui resistite fortes in fide: scientes, easdem passiones ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri. DEVS autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam, in CHRISTO IESV, modicum passos, ipse perficiet, fulciet, confirmabit, solidabitq́; Ipsi gloria, & imperiũ in secula seculorum. Amen. Per Siluanum fidelem fratrem vobis, vt arbitror, breuiter scripsi, adhortans, & contestans, hanc esse veram gratiam DEI, in qua statis. Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone, simul electa, & Marcus filius meus. Salutate inuicem in osculo charitatis. Pax vobis omnibus, qui estis in CHRISTO IESV. Amen.

NVNC hortatur senes, & iuuenes, vt in conspectu DEI habeant perfectam mentis humiliationem. post ostendit, quòd aduersus diabolum debet esse attenta vigilatio. deinde sobrios esse iubet. post modum fortes in fide. demum, spem certam dicit esse nobis repositã, ex vocatione DEI, per CHRISTVM. Primò itaq; sic differit, Quicunq; volunt exaltari, & honorari a DEO, debent se in conspectu ipsius humiliare: sed vos gentiles vultis exaltari, & coronari, in conspectu Dei: ergo debetis vos humiliare in conspectu ipsius. dicit ergo, Bene dico, quod superbis DEVS resistit, humilibus autem dat gratiam. humiliamini ergo, vt gratiam a Deo recipiatis.] humiliamini, inquam sic, scilicet sub potenti manu Dei.] idest sub manu

Inductio ad perfectã mẽtis humiliationem, ex quatuor.
1. Vt honorentur, & exaltẽtur a Deo.

2. Ratione maximi beneficii creationis & liberationis.

omnipotentiæ filij Dei, & hoc, supple, triplici de causa. primò ratione beneficij creationis, qua nos ad sui similitudiné ex nichilo creauit, & recreauit nos spiritualiter, dum, deperditam gratiam per peccatum, nobis restituit, ac finaliter de diabolica seruitute liberauit. 2. humiliamini sub omnipotenti manu filij Dei, ratione exaltationis in iudicio, in eo quod dicit, vt vos exaltet in tempore visitationis.] idest quando visitabit seculum istud, per ignem, quando quilibet reddet rationem de omni errore: & tunc humana Natura exaltabitur in bonis, quando corruptibile hoc induerit incorruptionem. 3. humiliamini sub potenti manu filij Dei, ratione gubernationis. ideo dicit, Quoniam ipsi est cura de vobis. ideo omnem solicitudinem vestram proijcite in eum. ita tamen quòd ex parte tui facias quod in te est secundùm breueis vires tuas. vbi autem non suppetunt vires, non deficiet vobis Dei filius, quia ipsi cura est de vobis. deinde cũ dicit, Sobri estote.] ponitur nunc, quòd, aduersus diabolum, debet esse attenta vigilia sic, Illi, qui habent fortem, & potentem inimicum, debent attentè vigilare, & contra ipsum fortiter resistere: sed vos omnes habetis fortem, & potentem inimicum: ergo debetis attentè vigilare, & fortiter resistere: dicit ergo, Non solùm sitis humiles in conspectu Dei, sed etiam sitis sobrij, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus.] vbi notatur, quòd diabolus habet quatuor contra nos. primò inimicitiam impacificabilem, & sic dicitur aduersarius noster, quia semper nobis nocere cupit. 2. habet contra nos malitiam incogitabilem, & dicitur diabolus, quod idem sonat quod decipiens, vel deorsum pellens, & habet infinitas decipiendi artes. 3. habet virtutem inuincibilem, & sic dicitur leo rugiens, quia, sicut leo fortissimus animalium, ad nullius pauebit occursum; sic nõ est potestas super terram, quę potestati diaboli posit comparari. 4. habet contra nos modũ inquietandi, ideo dicitur circuit, semper quærens, quem deuoret.] docet Apostolus vincendi modos: & primò, dum eius impacificabilem inimicitiam quærimus superare, tunc resistere debemus, per sobrietatem. ideo dicit, Sobrij estote.] quia sanitas mentis, & corporis, est sobrietas. 2. contra eius malitiam incogitabilem, debemus resistere, per vigilantiam orationis, & continuationé. ideo dicit Vigilate, scilicet in oratione, ne intretis in tentationem, idest vt non vincamini a tentatore, per tentationé. 3. contra eius virtutem inuincibilem, debemus resistere, per fidei firmitatem. ideo dicit, Cui resistite fortes in fide.] nil scilicet hæsitantes, quia & sancti per fidem vicerunt regna terrena, & diabolica. 4. contra eius motum inquietabilem, debemus resistere per communem charitatem, quia frater, qui adiuuat fratrem, quasi ciuitas firma, scientes, eandem passionem, quæ, in mundo est, vestræ fraternitati fieri.] quasi dicat, Non solùm putantes, vel existimantes sitis, sed scientes sitis, hanc tentationem, & impugnationem non fieri vobis solis,

3. Ratione exaltationis in iudicio.

4. Ratione gubernationis.

Inductio ad attentã uigiliam contra Diabolum.

Diabolus contra nos habet quatuor.
1. Inimicitiam interminabilé.
2. Malitiam incogitabilem.
3. Virtuté, uel robur inuincibile
4. Modũ inquietandi.

Docemur ad superandum Dęmonĩ per quatuor.
1. Per sobrietatem.
2. Per assiduam orationis uigiliam.

bis solis, sed etiam alijs fratribus vestris, qui sunt, in hoc mundo, dispersi, pro CHRISTI nomine. deinde cum dicit, Deus autem omnis gratiæ.] ponitur nunc, qualiter in nobis esse debet diuinorum beneficiorum gratiarū actio, sic, Illi debemus gratias agere, a quo habemus omnia nostra beneficia, &c, qui vocauit nos ad æternam vitam, & gloriā: sed talis est ipse Deus, quòd ab ipso omnia nostra bona habemus, & ipse nos vocauit ad æternam vitam, & gloriam. ergo illi gratias agere debemus. dicit ergo, Deus autem omnis gratiæ dator, qui vocauit nos modicum passos, ipse perficiet, confirmabit, solidabitq́;.] quibus verbis describitur donum nobis a Deo collatum quadruplex. & primò quò ad donorum multiplicitatem. 2. quò ad donorum liberalitatem. 3. quò ad donorum recipiendorum facilitatem. 4. quò ad satietatem appetitus ipsorum donorum. primò donorum multiplicitas notatur, cum dicit, Deus autem omnis gratiæ.] quia ipse est naturaliter ipsa gratia: est etiam Deus omnis gratiæ acquisitæ, & est Deus omnis gratiæ infusę; vel est Deus omnis gratiæ, scilicet incipientis, conseruantis, & confirmantis: vel omnis gratiæ præuenientis, & subsequētis: vel omnis gratię, scilicet incipientium, proficientium, & perfectorū. 2. donorum liberalitas notatur, cum dicit Vocauit nos in æternam suam gloriā.] nam vocat nos naturaliter, per donorum naturalium largitionē. vocat nos vniuersaliter, sine personarū acceptione: vocat nos perpetualiter, sine alicuius temporis exclusione recipiendi. 3. facultas, & facilitas notatur, cum dicit, In CHRISTO IESV modicum passos. nam modicæ sunt passiones, quas sustinemus pro CHRISTO IESV, respectu gloriæ, quā nobis daturus est. 4. satietas appetitus nostri notatur, cum subditur, Ipse perficiet, confirmabit, solidabitq́;.] nam ipse Deus perficit in præsenti, dans volūtatem perficiendi: confirmat, dans voluntatem exequendi: & solidat, dans operationem, & robur consummandi, & perficiendi opus, vel perficiet in futuro ipsā rationem, perfecti sui cognitione: confirmabit voluntatem, perfecta dilectione: solidabit memoriā, perfecta retentione. Ipsi ergo gloria.] idest claritas, frequens fama cum laude, & imperium.] idest dominium, & suprema potestas.] supple, sit Deo, pro tātis donis, gratis nobis donatis, & hoc scilicet in secula consecutiua seculorum, quasi semper, & in omni mensura, tam mutabilium, quàm æternorum. Amen.] Confirmatio est dictorum quasi dicat ita fit. deinde cum dicit, Per Siluanum.] hæc est vltima pars epistolę, in qua ponitur epistolę missio, & destinatio, & est ratio talis, Illius epistolæ missio, & destinatio est cum gaudio suscipienda, quę, ex parte nuntij, illam portantis, habet fidelitatem: ex parte epistolæ, habet breuitatem: ex parte rei scriptę, habet veritatem: ex parte verò mittentis, & salutantis habet dilectionem, & charitatem: ex parte finis, habet laudabilem terminationem.

3. Per fidei firmitatem
4. Per fraternam, & mutuā charitatem.
Inductio ad actionē gratiarum de beneficiis.
A Deo in nos collatum donū, ingēs, ex 4. 1. Quia multiplex.
2. Quia liberale.
3. Quia facile suscipitur.
4. Quia satiare aptū.
2.
3.
4.
vltima pars epistolæ, Quæ suscipiēda cum gaudio, ex quinque.

1. Ex fideli tate nũtij.

2. Ex ipsius epist. breui tate.

3. Ex ueri tate rei scri ptæ.

Romã, pro pter idolo latriæ cõfu sionem, Ba byloné uo cat.

Roma, nũc, ab illa pri sca, diuersa & ueritatis magistra.

4. Ex salutã tium dile ctione.

5. Ex lauda bili fine.

nationem. sed missio istius epistolæ habet omnes istas conditiones. ergo est cum gaudio suscipienda. dicit ergo, Per Siluanum, fidelem fratré, qui mihi necessarius est, idest causa vestræ salutis, eum mihi necessariũ ad vos misi, in quo tangitur fidelitas ipsius nuntij: vobis auté, vt arbitror, fideliter scripsi.] vt, supple, citò possitis intelligere, non, supple, per longum sermoné, sed breui, idest breuiter scripsi. ecce notatur breuitas, obsecrans, & per sacra rogans, & contestans, authoritate scripturarum, supple, hanc esse verã gratiam Dei, in qua statis.] idest gratuita Dei voluntate, in qua stare debetis. & hoc, quia non est in aliquo alio salus, in quo oporteat, nos saluos fieri, nisi, supple, in gratia CHRISTI, in quo tangit rei scriptæ veritatem. Salutat vos ecclesia, quæ est in Babylone, idest ecclesia, quæ est Romæ. Romam, Babylonem nominat, vt dicit glossa, propter cõfusioné multiplicis idololatriæ, in cuius medio rudis primitiua ecclesia fulgebat. fuit etiam ipsa Roma magistra errorũ tũc. nũc auté facta est discipula, & magistra veritatis: & Marcus.] supple, euangelista, filius meus spiritualis, qui a me baptizatus est, salutat vos, & salutem vobis optat. Salutate inuicem in signũ communionis fidei, in osculo sancto.] idest pacifico, non ficto. gratia vobis omnibus, qui estis in CHRISTO, idest peccatorum remissio, vel ad dominum reconciliatio, vel mentis, & cõscientiæ trãquillitas: nã a gratia incepit epistolam, & in gratia terminat illam, in qua finem concludit epistolæ laudabilem.

FINIS.


SECVNDAE EPISTOLAE beati Petri Apostoli

ARGVMENTVM.



SIMON PETRVS, per fidem, huic mundo, sapientes mortuos esse, declarat; eisdemq; pietatis quanta sit magnitudo, luce ipsa, clarius, manifestat.

EPISTOLAE CAP. I.



IMON PETRVS seruus, & Apostolus IESV CHRISTI his, qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem in iustitia DEI nostri, & saluatoris IESV CHRISTI. Gratia vobis, & pax adimpleatur, in cognitione DEI, & CHRISTI IESV Domini nostri: quomodo omnia nobis diuina virtute eius, quæ ad vitam, & pietatem pertinēt, donata sunt, per agnitionem eius, qui vocauit nos propria gloria, & virtute, per quæ maxima, & pratiosa nobis promissa donauit, vt, per hæc, efficiamini diuinæ consortes Naturæ, fugientes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ, corruptionē: sed & in hoc ipsum curam omnem subinferentes, MINIstrate in fide vestra virtutem: in virtute autem, scientiam: in scientia autem, abstinentiam: in abstinentia autem, patientiam: in patientia autem, pietatem: in pietate autem, amorem fraternitatis: in amore autem fraternitatis, charitatem. HAEC enim vobis cum adsint, & superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent, in Domini nostri IESV CHRISTI cognitione. Textus particula. 1.

EXPOSITIO.

IN prima epistola, Apostolus Petrus induxit illos gentiles dispersos, propter nomen CHRISTI, ad persistendum in gratiæ bonitate, ne subtraherentur, per aduersitates tribulationum; in hac verò inducit eos, vt perseuerent

Epistola hæc diuiditur in tres partes.
1. Est salutatio.
2. narratio.
3. confirmatio.
Salutatio utilis, & laudabilis tres habet conditiones.
1. Ex parte salutantis, commendationem.
Beati Petri v prærogatiuæ.
1. Obedientiæ promptitudo.
2. Cognitio ueritatis.
3. Mētis humilitas.
4. Officij authoritas.
5. Dignitas apostolatus
2. Salutationis conditio, recipientiū epistolam congrua dispositio.
Congrua dispositio.
1. quò ad se ipsos.
2. quò ad proximos.
3. quò ad Deum.
1. In cognitione fidei.
2. In iustitię obseruatione.
3. In recta intētione.

seuerent in veritate gratiæ christianæ, ne peruertantur per falsam doctrinā hæreticorum, vel pseudo apostolorum. vnde glossa innuit, quòd Apostolus, hanc epistolam eisdem, quibus & primā scripsit, videlicet electis aduenis, Proselitis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithynię: confirmans, eos aduersus pseudoapostolos, qui, veram doctrinam peruertentes, suos inducebant errores: & ad hoc, vt, qui persecutionibus non cesserunt, nec hęreticis credant. Diuiditur autem in tres partes: in prima ponitur salutatio. in 2. narratio. in 3. epistolæ totius confirmatio. in prima parte, vbi ponitur salutatio, intendit talem rationem, Illa salutatio est vtilis, & laude digna, & cum omni gaudio recipiēda, quæ, ex parte salutantis, habet commendationem: ex parte recipientium, habet congruam dispositionem: &, ex parte eorum, quæ in salutatione cōtinentur, habet bonorum optationem, & impetrationem: sed salutatio beati Petri habet has conditiones: ergo illius salutatio est laude digna, & cum gaudio suscipienda. & primo patet, quòd, ex parte salutantis, habet commendationem, tali ratione, Illa persona est commendabilis, quæ habet obediendi voluntatem, habet cognitionis veritatem, habet mentis humilitatē, habet officij authoritatem, & habet, ex parte Domini sui, magnam dignitatē. sed omnia hæc habet persona beati Petri, mittentis hanc epistolam, ergo est multùm commendabilis, quia, primò vt Simon] qui obediens dicitur, habuit obediendi voluntatem, quia valde obediens fuit, quādo ad vnam Domini vocem, relictis retibus, & naui, secutus est eum. 2. habuit cognitionis veritatem, quando dixit, Tu es CHRISTVS filius DEI viui. 3. in quantum verò erat seruus DEI] habebat mentis humilitatem, cum dixit ex humilitate, Non lauabis mihi pedes in æternum. 4. in quantū verò Apostolus.] habuit officij authoritatem, quæ tanta fuit, vt, quem ligaret, vel solueret, esse ligatus, vel solutus. 5. in quantum fuit IESV CHRISTI discipulus.] idest seruus, & Apostolus Redemptoris, & regis nostri, habuit magnam dignitatem, quia illi seruire, regnare est. meritò ergo persona beati Petri, epistolam mittentis, est commendabilis. deinde cum dicit, His, qui coęqualem.] hic ponitur personarum, recipientium epistolam, cōgrua dispositio, sic. Illis meritò debet tanti Apostoli salutatio destinari, qui sunt bene dispositi talem salutationē recipere: & primò in fidei cognitione, quò ad se ipsos. 2. sunt dispositi in iustitię obseruatione, quò ad proximos. 3. sunt dispositi, in recta intentione quò ad Deum: sed tales estis vos gentiles dispersi pro CHRISTO quibus epistola hæc destinatur. ergo vobis meritò debetur Apostoli salutatio. dicit ergo, His, qui coæqualem nobiscū sortiti sunt fidem.] nam ipsi dispersi gentiles, eandem cum Apostolis fidem habebant, in quo primò notatur eorum perfecta cognitio. 2. in iustitia Dei, in quo notatur iustitiæ, idest iusti, & recti obseruatio, respectu vniuscuiusq; in iustitia, inquā

Saluatoris

Saluatoris nostri Domini IESV CHRISTI, in quo. 3. notatur circa Dominum recta intentio, quia; illi rectam intentionem habēt, qui omnia faciunt in laudem Dei. deinde cum dicit, Gratia vobis.] ponitur nunc boni optatio, & impetratio sic, Illius boni optatio, & impetratio est cum gaudio recipienda, quæ habet animam gratificari, voluntatem quietare, & intellectum illuminare: sed talis est boni optatio, & impetratio, quod optatur in hac salutatione, quam scribit Beatus Petrus. ergo est cum gaudio recipienda. dicit ergo, Gratia vobis, quò ad gratiam, animam gratificantē, & gratum facientem, quæ nil aliud, nisi quædam participatio diuinæ bonitatis, & consortem fieri diuinitatis, & pax in vobis adimpleatur, quantùm ad pacem, nostram voluntatem quietantem, in cognitione Dei, & Domini nostri IESV CHRISTI, idest illius, qui est Deus, per essentiā; Dominus, per potentiā; noster, per adoptionem; IESVS, per saluationē; CHRISTVS, per incarnationem. deinde cùm dicit, Quomodo omnia.] hîc ponitur epistolæ Narratio, in qua, volens remouere eos a falsis prophetis, & suadere, quòd remaneāt in gratia: adhortatur ad mentis sanctificationem, & ad ea, quæ ad id faciunt, & primò ponit talem rationem, Quicunq; volunt habere in se ipsis mentis sanctificationem, & per consequens veritatis euangelicę consecutionem, debent cognóscere gratiam eis tributam a Deo, quomodo est virtuosa, & quomodo est prætiosa: sed vos gentiles debetis habere in vobis mentis sanctificationem; ergo debetis ista habere, & cognoscere. continuetur sic litera, Dictū est, quòd pax impleatur in vobis in cognitione Domini nostri IESV CHRISTI, per cuius cognitionem, cognoscetis, supple, quomodo hoc est illud, quod perficit omnia in nobis dona diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam, & pietatem donata sunt, idest quæ quidem dona faciūt, supple, ad vitam æternam consequendam, & pietatem conseruandam. & hoc per cognitionem eius, scilicet IESV CHRISTI, qui vocauit nos propria sua gloria, idest ad laudem, & gloriam ipsius, & non nostro merito, vel vocauit nos ad æternam suam gloriam. vocauit, inquam sua virtute, idest, nō per Angelum, neque per Archangelum, sed per virtutem propriam vocauit, & saluauit, per quam virtutem maximam, & propriam, pretiosa dona nobis donauit, vt, per hæc dona, efficiamini, dicit, diuinæ consortes Naturæ. ita tamen, quòd sitis fugientes corruptionem concupiscentiæ eius, quę est in mundo, quasi dicat, Quòd debemus fugere mundanas concupiscentias, & vana desideria, quę nos corrumpunt, ac deprauant in vita spirituali. deinde cum dicit, Vos autem.] hîc nunc inducit ad mentis sanctificationem, ex eorum dispositione, sic, Illi, qui volunt habere mentis sanctificationem in se ipsis, debent se ad talem sanctificationem disponere, per debitos gradus virtutum: sed vos gentiles debetis velle habere mentis sanctificationem; ergo debetis vos disponere per debitos gradus virtutum. dicit

N ergo,

3. Cōditio salutationis, bonorū optatio, & impetratio

Optatio, & impetratió recta bonorum tria præstat.

1. Gratam facit animā

2. Voluntatē quietat.

3. intellectū illuminat.

NARRATIO. ubi primo dispersos gētiles hortatur ad mentis sanctificationem, ex recognitione gratie.

Quomodo nos Christus uocauit.

Cōcupiscētiæ corruptio abigenda, & arcenda.

2. Pergit adhortari ad mentis sāctificationem, ex dispositione per debitos uirtutum gradus.

Dispositionis rectæ modus. Ministrāda ex fide, constantia bonæ cōuersat.
Ex constantia, sciētia.
In sciētia, abstinētia;
In abstinentia, patiētia
In patiētia, pietas;
In pietate, amor frat.
In amore charitas.
3. Inducit ad sanctificationē mētis, ex bonorum operū executione
Laborū fructus, & præmiū, in Dei cognitione quę uita est æterna.
Textus partic. 2.

ergo, Dictum est, quomodo Deus maxima, & pretiosa dona virtutis suæ nobis donauit, in quo habetur diuinæ gratiæ nobis infusio. vos autem, curam inferentes, idest vos ipsos disponentes, ministrate a fide vestra virtutem, idest, humili, & seruili modo, ostendite vos fratribus, ministrātes eis virtutem, idest constantiam vestrę bonę conuersationis, sicut CHRISTVS, qui non venit ministrari, sed ministrare. In virtute ergo, idest, in constantia, ministrate, supple, scientiam, ordinantem, & facientem hominem cognoscere finem suum, &, in scientia, administrate abstinentiā, docentem resistere malis. In abstinentia administrate patientiā, qua mala substineamus: in patientia autē administrate pietatē, qua alijs cōpatimur: in pietate autē administrate amorem fraternitatis, quo proximum zelamus, & in amore fraternitatis, administrate charitatem, qua dominum diligimus. per has enim virtutes, tanquam per gradus, ascenditur ad æternam vitā. deinde cū dicit, Hæc enim vobis.] hic inducit eos, vt habeant mentis sanctificationem, ex bonorum operum executione, sic, Illi, qui volunt habere mentis sanctificationem, debent semper fructuosè operari in cognitione Domini nostri IESV CHRISTI: sed vos gentiles debetis habere mentis sanctificationem; ergo debetis semper fructuose operari in cognitione Domini nostri IESV CHRISTI. dicit ergo, Bene dico, quòd, per omnes virtutes prænominatas, debetis vos disponere, quia, supple, si hæ virtutes vobis adsuerint, & vitia superauerint, non vacuos, & sine fructu esse poteritis in cognitione Domini nostri IESV CHRISTI: nam in cognitione Dei erit nostrum præmium, & nostra beatitudo finalis, vt Ioann. xiii. Hæc est vita ęterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti IESVM CHRISTVM.

CVI enim non præstò sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Quapropter, fratres, magis SATAGITE, vt firmam vestram vocationem, & electionem faciatis. hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini, & saluatoris nostri IESV CHRISTI. Propter quod, non omittam vos semper commonere de his: licet scientes, & confirmatos vos in præsenti veritate. Iustum autem arbitror, quandiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commotione: certus, quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod & Dominus noster

IESVS

IESUS CHRISTUS significauit mihi. Dabo autem operam, & semper habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.

NVNC hortatur illos gentiles dispersos ad diuinorum beneficiorum continuam meditationem: & hoc ex quatuor. primò, quia consequimur imaginis, in nobis existentis decorationem. 2. nostræ vocationis certificationem. 3. peccatorum expulsionem. 4. diuinæ gratiæ incrementum. & primò, ex vtilitatis consecutione, sic, Illis debent esse præsentes diuinæ virtutes, & diuina gratia, per quarũ absentiam homo consequitur mentis cæcitatem, affectus obliquitatem, & memoriæ obliuionem, & deformitatem; sed absentiam diuinæ gratiæ ista consequuntur mala: ergo vtile est, & necessarium diuinam gratiã pręsentialiter semper habere, & diuina beneficia semper meditari. Continua ergo sic, Dictum est, quòd hæ, supple, virtutes supra enumeratæ, debent semper esse præsentes, & nobiscum, quia, cui non pręsto sunt:] idest cui prędictæ virtutes non sunt pręsentes, cæcus est in intellectu, & manu tentans viam, quasi non habens ducẽ, labitur de vno peccato in aliud, per obliquitatem affectus; qui nõ est rectus, & ex hoc est accipiens obliuionem purgationis veterum suorum delictorũ.] idest obliuiscitur, per pœnitentiam, peccata sua purgare, quæ quidẽ peccata habent hominem inueterare, & ab ipso Deo elongare. deinde cum dicit, Quapropter.] hic ponitur nostræ vocationis certificatio, sic, Illi debent habere diuinæ gratię præsentiam, & continuam meditationem, qui, per illam, consequuntur suæ vocationis certitudinem: sed vos gentiles, per continuam meditationem, & præsentiam diuinæ gratiæ, facitis certam vocationem vestram; ergo debetis habere continuam illius gratiæ meditationem, & præsentiam. ideo dicit, Quapropter, fratres magis.] idest cum magno studio, satagite, idest sufficienter agite, & sufficienter laborate ad retinendas virtutes, superius dictas, vobiscum pręsentialiter, vt, per bonam operationem, certam faciatis vocationem vestram, & electionem, idest vos ipsos certos faciatis de vestra vocatione, non certitudine scientiæ, vel coniecturæ, vt si libenter quis diuina auscultat; si delectabiliter bona operatur; si vere peccata detestatur; si vehementem habet contritionem suorum peccatorum, hęc enim signa sunt gratiæ, & Dei vocationis. deinde cum dicit, Hæc enim facientes.] ponitur nunc nostrorum peccatorũ expulsio, & illius gratiæ præsentia, quæ est necessaria, secundùm quam operando, homo non peccat. & verè, per præsentiam diuinę gratię, & per continuam meditationem diuinorum beneficiorum, vos non peccabitis. ergò, secundùm talem gratiã, semper opera vestra faciatis. dicit ergo, Hęc enim facientes.] idest secũdùm prędictas virtutes operantes, non peccabitis aliquando, idest hæc faciẽtes,

Inductio, & hortatio ad continuam diuinorum benef. meditationẽ, ex 4

1. Ex consecutione vtilitatis.

2. Ex certitudine uocationis.

Certitudinem uocationis a nobis ipsis habemus ex coniecturis.

3. Ab expulsione peccati, per gratiæ diuinæ pręsentiam

idest, secundùm gratiam Dei operantes, non peccabitis Aliquando; quia, per ipsam, attingitis vitam æternam, vbi amplius non peccabitis; vel hæc enim facientes.] non peccabitis, idest quandiu operamini secundùm gratiã Dei, non peccabitis; vel hæc enim facientes non peccabitis, idest principiũ & finem vestrum continuè meditantes, non peccabitis aliquando, saltem mortaliter. deinde cum dicit, Sic enim.] ponitur nunc diuinæ gratiæ augumentatio, sic, Illius beneficia debetis continuè meditari, per quorum me ditationem, fiet in vobis augumentum diuinæ gratiæ, & ministrabitur vobis introitus in regnum æternum: sed talis est meditatio beneficiorũ Dei; ergo illa debetis meditari. ideo dicit, Sicut enim hęc sic optando, & sic me ditando diuina beneficia, abundanter ministrabitur vobis introitus in regnum æternũ Domini nostri, & Saluatoris IESV CHRISTI, idest dabitur augumentum gratiæ, & virtutum, per quas introibitis in æternam vitam. deinde cum dicit, Propter hæc.] nunc eos inducit ad diuina beneficia continuè meditanda, propter ipsius exhortationem, sic, Illi debent beneficiorum diuinorum continuam meditationem habere, qui de hoc continuè sunt commoniti, & instructi: sed ego Apostolus Petrus intendo vos continuè commonere, & instruere in his scilicet virtutibus supra nominatis; ergo debetis permanere in continua beneficiorum Dei meditatione. dicit ergo, Propter quod non omittam, vel incipiam vos commonere, de his scilicet virtutibus supranominatis, & de alijs, scientes, & confirmantes vos in præsenti veritate, quasi dicat, licet sitis scientes, & confirmati in præsenti veritate euangelica; tamen semper intendo vos commonere, vt sitis magis roborati. deinde cum dicit, Iustum autem arbitror.] ponitur dictæ exhortationis ratio, & est talis, Iustum est, prælatum, suos subditos commonere, & instruere, quandiu potest talem commonitionem facere, quandiu est in hac vita præsenti. ideo dicit Beatus Petrus de se, Iustum arbitror, quandiu sum in hoc tabernaculo, idest in hac mortali vita reseruatus, vos suscitare, in commonitionem. & nota, quòd talis commonitio, & exhortatio ex parte beati Petri, fuit, iuxta quatuor. prima ratione commissionis, sibi factæ a CHRISTO. Luc. xxii. Et tu, o Petre aliquando conuersus, cõfirma fratres tuos. 2. ratione pastoralis officij. vnde Prouerb. xxvii. dicitur cuilibet prælato, Diligenter cognosce vultum pecudis tui. 3. ratione fraternæ dilectionis adimpletionis, quia, vt dicitur Ecclesiast. xvii. Vnicuiq; mandauit Deus de proximo suo, vt eum eripiat ab omni iniquo. 4. ratione suæ benignę vocationis, quia vt a Deo fuit vocatus, & instructus, sic tenebatur alios benignè vocare, & instruere. ideo bene dicit, Iustum autem arbitror, quan diu sum in isto tabernaculo.] idest in hac vita mortali, expergefacere vos, & vigiles reddere in commonitione, idest commonendo vos, vel per commonitionem. deinde cum dicit, Certus sum.] ponitur dictæ suæ mortis

certificati

4. Ex diuinæ gratiæ incremẽto.

Noua exhortatio ad memoriam diuinorum beneficiorũ a persona Petri.

Exhortat. ratio.

Exhortatio Petri recta ex quatuor. 1. Ratione commissionis factæ a Christo. 2. Ratione pastoralis officij. 3. Ratione adimpletionis fraternę dilectionis.

certificatio, & reuelatio, sic, Ille est certus de sua morte, qui habet hoc per reuelationem IESV CHRISTI: sed hoc ego habeo per reuelationem IESV CHRISTI; ergo ego sum certus de morte mea. dicit ergo Certus sum enim, quòd velox est depositio tabernaculi mei, idest tempus resolutionis meæ per mortem, secundùm quod Dominus noster IESVS CHRISTVS significauit mihi. deinde cum dicit, Dabo autem operam.] ponitur dictæ exhortationis in memoria retentio, sic, Illius exhortatio semper est in memoria retinenda, etiam post mortem illius, qui in vita sua fideliter laborauit, ad instructionem, & exhortationem subditorum suorum: sed ego Petrus, in vita fideliter laboraui, in exhortatione, & instructione subditorum meorum; ergo mea exhortatio, & instructio est semper in memoria retinenda. dicit ergo, Quia velox est depositio tabernaculi mei, ideo dabo operam, & ex animo volo vos habere, post obitum meum.] quasi dicat opera, quæ ego facio in præsenti ad vestram vtilitatem, volo, vos libenter habere, post obitum meum, vt horum memoriam frequenter faciatis contra hæreticos, & pseudoapostolos.

4. Ratione suę uocationis, & instructionis. Petri mortis reuelatio. Inculcata iterū exhortationis memoria.

NON enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri IESV CHRISTI virtutem, & præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis. accepit enim a DEO patre honorem, & gloriam, voce delapsa ad eum huiuscemodi, a magnifica gloria, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipsum audite, & hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris: hoc primùm intelligentes, QVòd omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed, a spiritu sancto impulsi, locuti sunt sancti DEI homines.

Textus particula 3.

NVNC in hac parte confirmat illos gentiles in veritate, per sacri canonis authoritatum roborationem, taliter, In illorum doctrina vos gentiles debetis esse roborati, instructi, & confirmati, qui non sunt secuti indoctas fabulas, atque inanes, sed speculatores, & prędicatores veritatis æternę, cui non potest subesse falsitas: sed talis est doctrina mea, & aliorum Apostolorum: ergo illorum doctrina debetis esse roborati, & instructi. dicit ergo,

Confirmantur Gentiles in ueritate, per sacri canonis authoritatum roborationem.

 Bene

Bene dico, quòd doctrinam meam debetis habere in memoria, quia non, indoctas secuti fabulas, notam fecimus vobis Domini nostri IESV CHRISTI veritatem, qua omnia Deus pater operatur, & continet, ac præscientiam, qua ab æterno omnia nouit, & ordinauit. non, inquam, notam fecimus veritatem, per indoctas fabulas: sed potius speculatores, idest inuestigatores, & declaratores facti sumus illius magnitudinis, scilicet diuinæ veritatis, & præscientiæ, idest secretorum Dei, in qua nil inest erroris, neq; inesse potest. deinde cũ dicit, Accepit enim.] ponitur illius rei scriptæ euidentis claritas, sic, Illa res est clara, & lucida, quę immediate est operata per ipsum Deum patrem: sed talis fuit ipsa CHRISTI transfiguratio, cuius nos Apostoli sumus speculatores. ergo talis transfiguratio est lucida, & clara. dicit ergo, Bene dico, quòd facti sumus speculatores, & visores ipsius magnitudinis CHRISTI, idest transfigurationis eius, quæ erat clara, & lucida quia ipse CHRISTVS fuit accipiens a Deo patre honorem, per faciei, & vestimentorum fulgorem, & gloriam, per diuinitatis ipsius, ex voce patris, manifestatione, cum dixit, Hic est filius meus. ideo inquit voce delapsa de cœlo, idest emissa est tunc de cœlo ad eum huiuscemodi vox a magnifica gloria, a patre magnifico, vel magnificè glorificante filium, & dicẽte, Hic est filius meus dilectus, in quo bene mihi complacui, ipsum audite. vbi ipsum CHRISTVM in multis declarauit, primò quòd sit filius per naturam, non per adoptionem, hic est filius. 2. notificatur ex consubstantialitate, cum dicit, Meus. 3. describitur ex eius dilectionis charitate, cum dixit Dilectus. 4. manifestatur eius dignitas, ex eius operis vtilitate, cum dicit, In quo mihi bene complacui, idest in quo CHRISTO meum beneplacitũ ostẽdo. 5. notificauit pater CHRISTVM ex docendi authoritate, cum dixit, Ipsum CHRISTVM audite. deinde cum dicit, Et hanc vocem.] hic ponitur veritas testium perhibentium de hoc facto, testimonium, sic, Illis testibus debet credi de voce patris, glorificantis filium suum, qui prædictam vocem audierunt, & CHRISTI glorificationem viderunt: sed ipsi Apostoli, scilicet Petrus, Iacobus, & Ioannes viderunt, & audierunt: ergo ipsis est credendum; ideo dicit, Et hanc vocem audiuimus de cœlo allatam, idest de cœlo emissam, cum essemus cum ipso in monte sancto, idest in monte Tabor: vel similem vocem audierunt in monte Oliueti, cum orabat, vt dicit glossa. deinde cum dicit, Et habemus.] ponit nunc prophetiæ veteris testamenti certificationẽ, sic, Prophetia est firma, & certa, cui debemus credere, & attendere, sicut lucernæ ardenti in caliginoso loco: sed talis est prophetia veteris testamenti, & maxime Dauid, per quam pater perhibuit testimonium de CHRISTO in veteri testamento, sicut pater perhibuit in nouo, cum dixit Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te: ergo illi prophetiæ est credendum. dicit ergo, Et habemus firmiorem propheticum

Euidentia rei scriptæ apertissima

In Transfiguratione, Christus declaratus Dei filius per quinq; 1.2.3 4. 5.

Testium ueritas, perhibentium de transfigur. testimoniũ

Certitudo testimonii diuini, ex prophetia.

pheticum sermonem.] hoc est ad confirmationem eorum, quæ dicta sunt de CHRISTO, habemus sermonem propheticum Dauid firmiorem inter alios prophetas, quia clarius de CHRISTO prophetauit, vt dicit glossa, cui scilicet sermoni prophetico benefacitis attendentes, idest benefacitis illi cre dentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, idest inter tenebras errorum, & errantium, & hoc durabit, donec dies elucescat, idest donec claritas Dei in futuro, scilicet iudicio, appareat, & lucescat, & lucifer, idest CHRISTVS oriatur in cordibus vestris, scilicet per gratiam, & fidem, & cognitionem diuinorum. deinde cum dicit, Hoc primum intelligentes.] ponitur istius certificationis probatio, sic, Illa scriptura est certa, quæ non est in potestate hominis ipsam inuenire, & docere: sed in potestate Dei ipsam principaliter loquentis, & inspirantis: sed talis est sacra scriptura: ergo ipsa sola est certa, quia prophetæ sola illa dicebant, quę a spiritu sancto didicerant. dicit ergo, Hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia] ponitur istius certificationis probatio, dum dicit, Hoc primùm sitis intelligentes, quod omnis prophetia scripturę sacræ propria interpretatione non fit. non enim uoluntate, & beneplacito humano allata est aliquando prophetia, idest non inuenta est prophetia secundùm hominis libertatem: sed spiritu sancto est inspirata, idest a spiritu sancto instructi locuti sunt sancti Dei homines.

Certitudinis probatio.

CAP. II.

Textus particula. 4.

FVERVNT verò, & pseudoprophetæ in populo, sicut ET in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negantes, superducentes sibi celerem perditionem, ET multi sequentur eorũ exitia, per quos via veritatis blasphemabitur, & in auaritia, fictis verbis, de vobis negotiabuntur. QVIbus iudicium iam olim non tardat, & perditio eorum nõ dormitat. SI enim DEVS, angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in Tartarum, tradidit seruandos in iudicium: & originali mundo non pepercit, sed octauum Noe iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens, & ciuitates Sodomorum, & Gomorrhaeorum in cinerem redigens, euersione damnauit,

exemplum

exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens, & iustum Lot oppressum a nefandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione eripuit. aspectu enim, & auditu iustus, inhabitans apud eos quotidie animam iustam iniquis operibus cruciabat. NOuit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos: MAXIme autem eos, qui, post carnem, in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemq́ contemnunt, audaces, sibi placentes, gloria præditos, non metuũt blasphemare: vbi angeli, fortitudine, & virtute, cum sint maiores, non portant aduersum se, apud Dominum, execrabile iudicium.

Hæreticæ falsitatis expulsio, per tria.

1. Quòd fallax.

IN hac parte ponitur falsitatis hęreticorum expulsio, propter tria. primò, quia est deceptiua. 2. auditorum corruptiua. 3. est corruptiua finis principaliter intenti: & in prima parte intendit talem rationem, Illorum doctrina est remouenda, quæ est deceptiua; falsæ sectæ introductiua, & veritatis negatiua, & suorum sequacium damnatiua: sed omnia ista mala habet doctrina hæreticorum ergo eorum doctrina est remouenda. continuetur ergo sic litera, Dictum est, quòd vos debetis in veritate noui, & veteris testamenti conformari, quæ veritas est introducta in nobis a spiritu sancto; & propter hoc debetis falsitatem hæreticorum expellere; quia fuerunt, supple, ante nos, pseudoprophetæ in populos.] vt Balaam, & multi alij, de quibus Iere. xxiii. dicit prophetauerunt in nomine meo mendacium: sic & in vobis erunt, post obitum nostrum, magistri mendaces, qui introducent in corde vestro.] vel in medio vestri sectam, idest hæreses perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum, idest CHRISTVM, qui eos emit, idest redemit suo sanguine, negantes sunt, & superinducentes sibi celerem, & subitaneam perditionem sui, & suorum sequacium. deinde cum dicit & multi sequuntur.] ponitur 2. ratio, sumpta ex auditorum imperfectione, quæ talis est, Illorum doctrina expellenda est, per quos diuinũ nomen blasphematur, & contemnitur: sed talis est doctrina hæreticorum, quia, per eam, nomen Domini blasphematur. ergò est expellenda, & abijcienda. dicit ergo, Multi sequuntur eorum luxurias, per quos veritatis via blasphematur. sequuntur, dico. multi luxurias eorum, idest luxuriosas eorum, hæreticorum doctrinas. nota quòd doctrina hæreticorum dicitur luxuriosa, primò per recessum a veritatis toto. 2. quia tales docent, & prędicant tantùm propter carnalia cómoda. deinde cum dicit, Et in auaritia.] ponitur 3. ratio, sumpta

2. Quòd auditores corrumpit.

Doctrina hæreticorũ luxuriosa per duo.

sumpta ex prauitate finis principaliter intenti, sic, Illorum doctrina est tollenda, qui solùm prędicant propter auaritiam, & temporalem commoditatem, & non propter præmium æternum: sed talis est prædicatio, & doctrina hęreticorum; ergo est vitanda. dicit ergo, Et in auaritia, fictis.] id est fucatis, ornatis, & adulteratis verbis, de vobis, scilicet subditis, & simplicibus negotiabuntur ipsi impij hęretici, vobis prædicãdo. nam sunt aliqui prædicatores, qui, vt possint populum ad se, non ad CHRISTVM, attrahere, fingunt noua verba, corrumpere volentes, auriumq; pruriginem, sub nouello dogmate eorum desiderij, alijs ingerentes, quorum doctrina potius est placida, quàm docenda, quia magis delectat, quàm doceat, vel ædificet. fingunt enim isti etiam nouos mores, & nouos gestus, demonstrant pellem ouinam exterius, & pellem lupinam, vel vulpinam habẽt interius, & exterminant facies suas, vt appareant exterius tantùm. tales igitur prædicatores magis prædicant, vt negotientur bona temporalia, & acquirant, quàm bona spiritualia: & magis conantur placere hominibus, vt lucrentur eorum pecunias, quàm Deo, vt lucrentur animas. deinde cum dicit, Quibus iudicium.] ponitur damnatio prædicantium falsitatem hæreticorum, sic, Illorum pœna est fortis, & acerba, quę habebit semper affligentis præsentiam, affligentis potentiam, & habebit affligentis continuam solicitudinem, & solertiam: sed pœna hereticorum, falsitatem prædicantium est talis, id est, vt nunc dixi. ergo illorum pœna erit fortis, & acerba: nam diabolus, qui animas damnatorum cruciabit, est habens, id est semper habebit nocendi præsentiam, quia semper sine cessatione cruciabit animas impiorum: habet etiam nocendi potentiam, quia, sicut malos superat in culpa, sic meritò illos superabit in pœna: habet vlterius affligendi solicitudinem, & solertiam, quia nunquam dormitat, id est non fatigatur, quia non habet molem corpoream. dicit ergo, Quibus, supple, magistris mendacibus iudicium iam olim non cessat.] quasi dicat, Hoc iudicium, quod ab æterno præuisum est, nunquam cessabit, per affligentis iugem præsentiam: & perditio eorum erit, supple fortis, id est pœna eorum damnationis erit fortis, ad sufferendum, & excellens ad cruciandum. ideo illa pœna dicitur perditio in abstracto, propter affligentis potentiam, qui, supple, affligens nõ dormitat.] id est nunquam quiescit propter solicitudinem affligendi, & solertiam. deinde cum dicit, Si enim Deus.] ponitur illius damnationis probatio, & primò sic, Angeli sunt digniores ipsis hominibus: sed Deus Angelis peccantibus non pepercit, imò illos in iudicium cruciandos reseruauit: ergo similiter hominibus peccantibus, & maximè hæreticis non parcet. dicit ergo, Bene dico, quòd perditio impiorum non dormitat, & non est tradita obliuioni, quia, si Deus Angelis peccantibus, qui sunt hominibus digniores, non pepercit; sed rudentibus, id est, quasi quibusdam funibus,

3. Quòd finem corrũpit.

In Prædicatores priuato commodo intẽtos.

Damnatio prædicãtiũ falsitatem hæreticorũ.

Diabolus habet nocẽdi, & cruciandi præsentiam, potestatem, & solertiam.

Damnationis hæreticorum probatio, ex tribus.

1. Ex lapsu angelorum

& ligamentis magnis, in infernum detractos, cruciandos traxit, vel funibus inferni, idest infernalibus, detractos in Tartarum, vel ligamentis funiceis detractos in Tartarum inferni tradidit seruandos, vel cruciandos in iudicium reseruari; multò fortius tale iudicium paratum est ipsis hominibus peccantibus, & maximè hæreticis. nota, quòd rudentes sunt funes, quibus nautę vela suspendunt, vt, flante vento, portus tranquillitatem relinquât, & in altum nauem extollant maris; sic angeli peccantes, mox, vt, flante superbia, aduersus creatorem, se erexerunt, statim conatibus elationis superbiæ ipsorum, tanquam quibusdam funibus, ad profundum inferni detracti sunt. deinde cum dicit, Et originali mundo.] ponitur secunda ratio, sumpta ex humanæ naturæ prauitate, sic, Magis fuit immunis natura humana a peccato in primęua ætate, quàm sit in præsenti: sed Deus hominibus peccantibus in illa primæua ętate non pepercit: ergo nobis peccantibus multò minus parcet in hac. ideo dicit, Et originali mundo.] idest hominibus, secundùm originem primi peccati, viuentibus, idest voci Domini non obedientibus, vt primi nostri parentes in origine mundi fecerunt, taliter viuentibus, non pepercit: sed octauum Noe iustitię scilicet diuinæ, ac punitionis diuinæ præconem custodiuit, inducens scilicet Deus diluuium mundo impiorum.] idest mundo huic inferiori, in quo impij habitabant, tunc maximè, & semper inhabitabunt, frequenterq; simul misti cum bonis: ita, supple, inducet iudicium damnationis super viuentes in peccatis in hac nostra ætate. Cur autem Noe octauum nominat? primò quia ipse fuit octaua persona saluata, vel vna ex octo personis saluatis in arca, vel dicitur octaua persona, quia fabricatio arcæ significat octauam ætatem, in qua erit saluatio iustorum, quæ saluatio signatur per arcam, in qua octo animæ saluę factæ sunt, & perditio impiorum per aquam signatur diluuij, vel, secundũ glossã, quòd octo sunt ætates: prima ab Adã ad Noe. 2. a Noe vsq; ad Abrahã. 3. ab Abrahã ad Moisem. 4. a Moise ad Dauid. 5. a Dauid vsq; ad CHRISTVM. 6. a CHRISTO vsq; ad finẽ mundi. 7. erit eorum, qui in fine mũdi simul morientur, & resurgent. 8. erit in vita æterna. Igitur Apostolus Noe appellat octauũ, quia, per ipsum Noe, in arca saluatum, significabatur nostra saluatio in octaua ętate, in qua erimus saluati, & liberati ab omni malo, qui Noe dicitur præco iustitiæ, quia qualiter Deo viuendum erat, scilicet secũdum iustitiam, idest recte ipse hoc docuit. deinde cũ dicit, Et ciuitates.] ponitur 3. ratio, sumpta ex naturæ humanæ ad peccandum pronitate, sic, Natura humana magis est prona ad peccata carnalia, quàm ad spiritualia: ideo dicunt maioris infamiæ, & minoris culpæ ipsa peccata carnalia: sed Deus non pepercit sogdomitis, & alijs finitimis ciuitatibus, peccãtibus secundùm peccata carnalia. ergo multò fortius nõ parcet ipsis hæreticis peccantibus secundùm peccata spiritualia. dicit ergo, Et Ciuitates Sogdomorum, &

2. Ex punitione antiquorum.

Noe cur nominetur octauus.

Saluatio nostra præsignata per Arcã Noe.

Octo ętates

Tertiũ probans hæreticorũ damnationem, ex deletis ciuitatibus Sogdomorum, & Gomorrheorũ

rum, & Gomorrheorum in cinerem redigens, euerfione damnauit, quasi dicat redigens illas Ciuitates per adustionem in cinerem, illas per subuersionem damnauit, puniens eos in exemplum, id est, vt essent in exemplum eorum, qui impiè acturi erant, quasi dicat patenter significans, perituros illos, qui istis sogdomitis similes essent, non in culpa, sed in modo peccandi, scilicet publicè, vt hęretici faciunt, & iustum Lot oppressum a nefandorũ hominum iniuria, quò ad Dominum, & a luxuriosa conuersatione eripuit ipsum Lot, ipsum liberando ab iniuria illorum, & ne se contaminaret in peccatis luxurię illorum; eripuit, inquam, illum, tanquam iustum, & non consentientem operibus eorũ malis. & quòd Lot esset iustus, probat, quia aspectu, & auditu iustus erat, id est erat iustus in conuersatione, & quò ad famę diuulgationem, cum nullus de ipso videret, nec audiret aliquid, nisi quòd esset bonus, & iustus. quod erat valde difficile inter tales iniustos, iustitiam, id est bonitatem seruare. benè ergo subdit, Habitans inter eos, qui de die in diem animam iustam, id est animam, mentem, & intellectum, visum, & auditum ipsius iusti Lot iniquis suis operibus cruciabant. cruciabatur enim ipse, videns eorum mala opera, timens iram Dei venturam super cunctos. deinde cum dicit, Nouit Dominus.] hîc nunc ponitur omnium iam dictorum assignatio. tria sunt dicta supra primùm, Quòd Deus punit malos, & bonos liberat de tribulationibus. 2. Quòd magis punit hæreticos blasphemos, quàm alios. 3. Quòd si Deus puniuit Angelos peccãtes, multò fortius puniet alios indigniores. Continuetur litera sic, Dictum est, quòd Deus eripuit Noe, & Lot de tribulationibus, alios verò per subuersionẽ damnauit, cuius causa est, quia nouit Deus pios, & iustos, sicut Noe, & Lot de tribulationibus eripere, iniquos verò, in diem iudicij, cruciandos reseruare. deinde cum dicit, Maximè autem.] hîc assignat rationem secundi dicti, & ponit Apostolus quatuor hęreticorum genera. primum namq; genus est eorum, qui sequuntur hæresim, propter carnalem concupiscentiam. 2. eorum, qui propter superbię iactantiam, Quia elati superbia nolunt captiuare suum intellectum in obsequium CHRISTI. 3. eorũ, qui propter complacentiam, & sui ingenij confidentiam. 4. eorum, qui propter sui intellectus cæcitatem, & ignorantiam, quia, cum veritatem nõ intelligant, nouos ritus, & nouas sectas inducere conantur. omnes autem hi magis puniẽdi sunt, quia alios peccato erroris inficiunt, quàm si ipsi suo scelere soli perirẽt. ideo dicit, Magis autem, supple, Deus puniet eos, qui, post carnem, in concupiscentijs immunditiæ ambulant.] quò ad illos, qui sequuntur hęresim propter carnalem concupiscentiam; dominationemq; contemnunt, id est, quia contemnunt ipsum Dominum CHRISTUM dominatorem omnium.] & hoc, quò ad illos, qui sequuntur hęresim propter superbiam, & iactantiam: sed audaces, sibi placentes, id est sibi ipsis

Dictorum epilogus, & explicatio prima pars explicationis.

Secũda pars explicationis. Hęreticorũ genera. 4. 1. Carnis amatores. 2. Superbi 3. Arrogantes ex ingenio. 4. Cæci, & ueritatis ignari.

placere cupientes & non Deo, propter sui complacentiam, & ingenij confidentiam, sectas non metuunt introducere.] idest non timent introducere, blasphemantes.] quò ad illos, qui inducunt hæresim, propter ignorantiam, & cęcitatem. deinde cum dicit, Vbi angeli.] hîc assignatur 3. causa dictorum, sic, Angeli sunt fortiores, & virtuosiores, quàm sint homines: sed tanta est vis pœnarum inferni, quòd ipsi Angeli portare non possunt tale onus. ergo multò fortius homines ipsi talem pœnam portare non poterunt, vel tale iudicium execrabile tolerare. hoc est ergo, quòd dicit, Vbi, idest in quo iudicio, Angeli, cum sint maiores fortitudine, & virtute, supple, quàm sint homines, non poterunt aduersus se execrabile iudiciū, idest non possunt portare iudicium, inflictum eis, idest pœnam inflictam per iudicis sententiam, pro execrabili eorum peccato, quasi dicat valde Durum erit eorum supplicium, & quasi importabile, quasi dicat, ipsa superbia, de qua dicitur Ecclesiast. x. quòd odibilis erit Deo, & hominibus superbia, & execrabilis omnis iniquitas: multò fortius, supple, tale iudicium portare erit difficile ipsis hominibus.

Tertia pars explicationis.

Textus particula 5.

HI verò, velut irrationabilia pecora, nata in captionem, & in perniciem, in his, qui ignorant, blasphemantes, in pernicie sua peribunt, percipientes mercedem iniustitiæ, VOLVptatē existimantes diei delitias, coinquinationes, & maculæ, DElitiis affluentes, in deceptionibus suis conuiuantes vobiscum, oculos habentes plenos adulterij, & qui non cessant a peccato, pellicientes animos instabiles, cor exercitatum auaritia habentes, maledictionis filij, derelinquentes rectam viam errauerunt, secuti viam Balaam filij Beor, qui mercedem iniquitatis amauit: correptionem verò habuit suæ iniquitatis. subiugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam. HI sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ. quibus caligo tenebrarum in æuum seruata est. Superbia enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desiderijs carnis lasciuijs, eos, qui paululum aufugerant, qui in errore conuersantur, libertatem illis promittentes, cū ipsi serui sint corruptionis. A QVO enim quis superatus est: huius, & seruus est. SI enim refugientes coinquinationes mundi, in cognitione Domini nostri, & Saluatoris

IESV CHRISTI: his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora, deteriora prioribus. MELIVS enim erat illis non cognouisse viam iustitiæ, quàm, post agnitionem, retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Contingit enim eis illud veri prouerbij, CANIS reuersus ad suum vomitum, & SVS Lota, ad volutabrum luti.

DOCET nunc falsitatem hæreticorũ expellere, propter quatuor mala, quę facit in homine. primũ est sẽsualitatis dominatio. 2. recti iudicij peruersitas. 3. aliorũ deceptio. 4. falsi habitus informatio; & dicit sic, circa primũ, Illorũ doctrina est omnino expellenda, qui, tanquã irrationabilia animalia, exist. ntes, ipsũ intellectũ sensualitati submittũt: sed talis est doctrina hæreticorũ, & falsorũ magistrorũ; ergo talis doctrina est expellẽda. Continuatur sic litera, Dictũ est, quomodo hæretici punientur, propter malitiã affectus, & etiã propter cæcitatẽ intellectus eorũ, quia hi, supple, magistri erroris. velut irrationabilia pecora, naturaliter, supple, tendunt in captionẽ, & in pernitiem his, qui ignorant, blasphemantes, ideſt nõ rectè sentientes in corruptione, ideſt in perditione sua peribunt, percipiẽtes mercedem in iustitiæ suę. quatuor enim mala incurrunt homines, subijcientes intellectũ sensualitati. primò assimilantur animalibus irrationabilibus, quia nõ reguntur ratione, & de istis dicit hic Apostolus, Hi verò velut irrationabilia pecora naturaliter tendunt in captionẽ, & perniciẽ sibi ipsis:] quia causa cibi sæpe in captionẽ, & pernitiem ignoranter incidunt: ita hæretici, infectione sui mali appetitus, sibi ipsis locũ damnationis parant. 2. malũ est ipsius intellectus obumbratio, per ipsam sensualitatem, qua veritatem ignorant, & blasphemant, non rectè sentientes, & quò ad hoc dicit Apostolus, & in his, quę ignorant blasphemant.] 3. malum est repentina corruptio illorũ, quia peribit memoria eorum cum sonitu blasphemiæ eorũ, & propter hoc dicit Apostolus in corruptione sua.] ideſt in malis suis peribunt. 4. malũ est illorum præmij priuatio, quia, sicut timentibus nomen Domini orietur sol iustitiæ CHRISTVS in premium: ita odientibus nomen Domini nõ orietur sol iustitiæ; & propter hoc dicit Apostolus, Percipientes erunt mercedem iniustitiæ suæ.] ideſt malorum suorum. deinde cum dicit, Voluptatem.] ponitur 2. ratio, sumpta ex peruersitate iudicij sic, Illorum doctrina est expellenda, qua iudicant, illud esse bonum, quod non est bonũ: sed talis est doctrina hæreticorum: ergo est expellenda. dicit ergo, Voluptatẽ existimant diei.] ideſt voluptatem bonam, in qua sancti delectantur, existimant ipsi mali hæretici esse coinquinationes, & maculas.] ideſt esse delitias coinquinationis, & sic iudicant, voluptatem carnis voluptatem diei,

Hæreticorum falsitas, propter quatuor mala, expellenda.
1. Sensualitatis dominatio. & hoc primũ probatur.

Quatuor mala incurrimus, intellectũ sensualitati subijcientes.
1. Assimilari bestiis.
2. Intellectus obumbratio.
3. Repentina corruptio.
4. Præmij ablatio.

Secundum probatur.

idest lucidam, & præclaram, ponentes ibi finem operum suorum, & delitijs affluentes in conuiuijs suis, luxuriantes vobiscum, quasi dicat ad hoc vobis faciunt conuiuia, vt possint vos ad luxuriam trahere, & ipsi possint, ad luxuriam expendam, maiorem dispositionem habere, oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti.] idest incessabilis mali, ex desiderio prouenientis, ex aspectione oculi impudici, quia Impudicus oculus impudici cordis est nuntius, & mali desiderii. deinde cũ dicit, Pellicientes.] hic ponitur tertia ratio, sumpta ex aliorum deceptione, sic, Illorum doctrina est vndequaq; expellenda, qui, ex eorum infectione, alios inficiunt, & decipiunt: sed hæreticorum doctrina est talis, quòd alios inficit: ergo est expellenda. dicit ergo, Pellicientes animas instabiles, quasi dicat, Tales hæretici sunt pellicientes, idest decipientes, & allicientes homines deditos carnalibus desideriis: nam, secundùm glossam, Pellices dicuntur meretrices, dictæ sic a pollutione corporis, vel a formatione pellis vultus ipsarũ, qua formositate pellis, decipiunt incautos, alliciunt, & pelliciunt, idest decipiunt animas instabiles, & vagabundas, habentes cor exercitatum auaritia, idest quicquid agunt causa auaritiæ agunt, qui, tanquam maledictionis filii, derelinquentes rectam viam scilicet veritatis, errauerũt, secuti viam Balaam, veniẽtis ex Bosor.] idest venientis ex villa, vel de sua ciuitate, sic dicta, qui, scilicet Balaam, mercedem iniquitatis amauit: nam, propter prętium, contra Dominum veniebat, vt malediceret populo Israelis: correctionem tamẽ habuit suæ vesaniæ, & imprudentiæ, vel fatuitatis, per subiugale eius mutũ animal, idest per Asinam eius, quę, voce hominis loquens, prohibuit prophetæ insipientiam, quam scilicet facere intendebat, quia simulac Asina vidit Angelum, stantem, & concidit sub pedibus sedentis, & nec ad dexterã, neq; ad sinistram stans, iuxta locum angustum, poterat deuiari, quam, cũ Balaam verberasset, miraculosè, voce hominis, loquens, Quid feci tibi, cur me percutis? non ne animal tuum suum, cui semper supersedere consueuisti, vsq; ad præsentem diem? Dic, quid vnquam tibi simile fecerim. &, sic loquens prohibuit insipientiam eius. num. xxii. deinde cum dicit, Hi sunt fontes.] ponitur 4. ratio, sumpta ex informatione falsi habitus, sic, Illorũ doctrina est expellenda, qui carent habitu veritatis, & sunt informati habitu falsitatis: sed doctrina hæreticorum est talis. ergo est repellenda. dicit ergo, Hi, supple, hæretici, sunt fontes sine aqua, idest habent intellectum sine aqua sapientiæ, & sunt nebulæ obscuræ, & turbinibus exagitatæ, idest a vento tempestatis commotæ, quibus caligo tenebrarum reseruatur, quibus hæreticis insipientibus reseruatur obscuritas, vt scilicet, qui in sordibus sunt, sordescant adhuc magis: nam ipsi superba vanitatis loquentes, pelliciunt, idest decipiunt, & alliciunt eos, scilicet auditores in delitiis luxuriæ carnis, qui paululum effugiunt, idest parũm resistũt peccatis, qui in errore conuersan-

Tertiũ probatur.

Quartum probatur.

conuersantur, libertatem illis promittentes, idest liberam licétiam dantes, vt peccent, dicentes eis, pro peccatis, non debere puniri, sed pręmiari; cum tamen ipsi sint serui corruptionis, idest ipsius diaboli corrumpentis, & corruptionem vitę spiritualis inducentis, & corporalis simul. deinde cum dicit, Si enim.] ponitur nunc probatio secundi dicti, sic, Illorum iudicium est obliquum, & peruersum, quorum posteriora facta fiunt eis deteriora prioribus: sed tale est iudicium malorum hominum, qui, fugientes mundi carnalitatem, idest carnalia, & mundana, rursus, propter peruersum iudicium eorum, vincūtur, & superantur ab ipsis carnalitatibus mūdanis, quorum posteriora facta, sunt, & dicuntur deteriora prioribus delictis eorum, quia incurrunt ingratitudinis notam. dicit ergo, Si enim, refugientes coinquinationes mundi, in cognitionem Domini nostri IESV CHRISTI Saluatoris nostri Dei, idest per fidem CHRISTI, his, scilicet inquinationibus mundanis rursum implicati superantur, propter peruersum iudicium ipsorum hæreticorum, vel propter persuasionem malorum: tunc eis facta sunt posteriora eorum peiora prioribus eorum factis. deinde cum dicit, Melius enim erat.] ponitur probatio tertii dicti, sic, Illi decipiūt se ipsos, & alios, qui, post cognitionem veritatis, iterum reuertūtur ad errores, & falsitates; quia melius est non cognoscere, quàm, post cognitionem, retrorsum conuerti, eò quòd, ante cognitionem, potest excusari per ignorantiam, & si non a toto, saltem a tanto, & tales sunt hęretici, & mali christiani, qui, post agnitionem veritatis, retrocedunt. ergo isti decipiūt se ipsos, & alios. dicit ergo, Melius enim erat illis, idest minus graue, vel minus malum non cognoscere veritatem, vel viam iustitiæ legis euangelicæ, quàm, post illius cognitionem, retrorsum conuerti. conuerti, inquam, ab eo sancto mandato, quod traditum est illis. Matth. ix. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. quia ergo hæretici, & falsi christiani Dei mandata cognoscūt, & ipsa adimplere contemnunt: ideo ipsi grauius punientur, quàm illi, qui prædicta mandata non cognouerunt. nam dicitur, Luc. xii. Seruus, sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, vapulabit multis. deinde cum dicit, Contigerit enim.] hîc ponitur ratio quarti dicti, sic, Illi, qui expellunt a se habitum veritatis, & sunt informati habitu falsitatis, sunt sicut canes euomentes cibum, & iterum assumentes illum ipsum cibum euomitum: sed tales sunt hæretici, & falsi christiani: ergo illi expellunt a se habitum veritatis, & informant se habitu falsitatis. dicit ergo, quòd contingit illis illud prouerbium, vel illud veri prouerbii, quasi dicat istis, qui, reuertuntur ad falsitatem, relicta veritate, contingit eis illud, quod scriptum est, Prouerb. xvi. Sicut canis reuersus ad suum vomitum: sic stultus, qui iterat stultitiam suā, & sus lota in volutabro luti.] idest sicut porca, dum luto lauatur, sordidior redditur: sic, qui peccatū plangit, nec tamen desinit, pœnæ grauiori se adstrin-

Corroboratio dicti secundi.

Corroboratio tertii dicti.

Corroboratio quarti.

se adstringit, quia, quod plangendo mortificare videtur, iterando viuificat, & roborat.

CAP. III.

Textus particula. 6.



ANC ecce vobis, charißimi, secundam scribo epistolam, in quibus vestram excito, in commonitione, syncera mentem: vt memores sitis verborum, quæ vobis prædicta sunt a sanctis prophetis, & præcepti nostri, qui sumus Apostoli Domini, & saluatoris: hoc primũ scientes, quòd VENIENT, in nouißimis diebus, illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes, Vbi est promißio, aut aduentus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ. Latet enim eos, hoc volentes, quòd cœli erãt prius, & terra, de aqua, & per aquam consistentes DEI verbo; per quæ ille, qui tunc erat, mundus, aqua inundatus, periit. Cœli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igne reseruati in diem iudicii, & perditionis impiorum hominũ. Vnum verò hoc non lateat vos, charißimi, Quòd vnus dies apud Dominũ sicut mille anni; & mille anni, sicut dies vnus. NON tardat Dominus, qui promisit, sicut quidam tarditatem existimant, sed patienter agit erga nos, nolens aliquos perire: sed omnes ad pœnitentiam reuerti. ADVENiet autem dies Domini, vt fur in nocte, IN quo, cœli, magno impetu, transibunt: elementa verò calore soluentur: TERra autem, & quæ in ipsa sũt opera exurentur.

De cognitione falsitatis uitandæ, per quatuor.

Postquam posita est illis gentilibus conuersis, & dispersis, propter nomẽ CHRISTI, veritatis Catholicæ introductio, & falsitatis recognitio: hîc nunc ponitur cognitio falsitatis vitandæ: & primò ponitur congrua dispositio ad cognoscendum errores hæreticorum. 2. ponitur modus conseruandi veram instructionem, & vitatio errorum. 3. ponitur illorũ vitatio. 4. ponitur ad rationes eorum responsio, & circa primũ vtitur tali ratione,

Illi sunt congruè dispositi ad cognoscendum errores hæreticorum, qui sũt confirmati per dicta prophetarum, & Apostolorũ, & ipsius IESV CHRISTI: sed vos gentiles estis sic confirmati per dicta prophetarum, Apostolorum, & CHRISTI; ergo estis congruè dispositi ad cognoscendum eorũ errores. dicit ergo, Charissimi, hanc vobis secundam scribo epistolam.] in quibus, supple epistolis, tam in prima, quàm in secunda, excito, supple, vestram synceram mentem, in commonitione mea, idest in exhortatione mea, quam certò ego facio vobis, vt memores sitis eorum, quæ prædixi vobis, verborum dictorum.] supple a sanctis prophetis, & ab Apostolis nostris, qui vobis prædicauerunt, ac memores sitis eorum dictorum.] idest præceptorum Domini, & Saluatoris: nam dicta prophetarum sunt vera, & Apostolorũ, quia, spiritu sancto illuminati, locuti sunt sancti Dei homines: sed dicta CHRISTI sunt verissima, quia ipse veritas, & vita: si ergo vos gentiles memores eritis prędictorum verborum, congruè eritis dispositi ad cognoscẽdam falsitatem hæreticorum. deinde cum dicit, Hoc primum.] ponitur eorum errorum vitatio, sic, Errores illorum debetis vitare, qui sunt deceptores & illusores bonorum corporalium, & non spiritualium promissores, & totius fidei christianæ persecutores: sed tales erunt hæretici futuri, tempore Antichristi: ergo meritò tales sunt vitandi, cum suis erroribus. dicit ergo, Primum hoc scientes sitis, & attendentes, quod venient, in nouissimis diebus, idest in vltimis mundi temporibus, vel tempore Antichristi, cuius hæretici sunt præcursores: venient, dico, in deceptionem illusores, scilicet vt decipiant simul, & illudant, & erunt ambulantes iuxta proprias concupiscentias, idest credentibus in eis, & adhærentibus illis carnalia desideria, vel carnaliter desiderata, promittentes, dicentes scilicet derisoriè. Vbi est promissio, supple, nobis facta de CHRISTO, aut vbi est aduentus eius, idest, quod signum habetis de eius aduentu? quasi dicat nullũ signum habetis. nam, ex quo patres dormierunt hoc est, ex quo primi nostri parentes mortui sunt, omnia sic perseuerant sicut iam creata fuerunt, vt nulla in eis mutatio appareat. deinde cum dicit, Latet enim.] hîc ponitur dictorum errorum, & malorum reprobatio, sic, Illorum error, & falsitas meritò debet conuinci, & reprobari, qui negant iudicium Dei prętericum, & futurum, cum de vtroq; iudicio scriptura mentionem faciat: nam facit mentionem de diluuio, facto, tempore Noe, per aquam, & de iudicio, faciendo, per ignem, in fine mundi: sed tales sunt hæretici: ergo illorũ error, & falsitas debet reprobari. dicit ergo, quod latet eos, hoc volẽtes, idest hæreticos volentes, supple, nullum iudicium esse futurum, neq; præteritũ; sed omnia immutabiliter permansisse, & in futuro permansura: latet eos; quòd cœli erant prius, idest inter alias creaturas prior erat iste turbulentus aër, qui cœlum appellatur, iuxta illud Iere. viii. Miluus in cœlo, idest in aere,

1. Congrua dispositio ad cognoscendas hæreticorum technas.

2. Hæresis errorũ uitatio.

3. Reprobatio talium errorum.

cognouit tempus suum, & terra erat de aqua, propter ductibilitatem, idest reducibilitatem ad diuersas formas recipiendas: dicta est terra, propter deformitatem: dicta est etiam abyssus, propter obscuritatem. vnde Genes. I. His tribus nominibus ipsa materia appellatur, cum dicitur, In principio creauit Deus cœlum, & terram, idest Naturam Angelicam, & naturã primam, & tenebræ erant super faciem Abyssi, & spiritus Domini ferebatur super aquas. & per aquam ipsa terra fuit consistens, idest per se existẽs, vel solitariè existens, idest per remotionem aquæ fuit per se solitariè existens, quando Deus dixit, Congregentur aquæ in lacum vnum, & appareat arida, vel dicitur terra per aquam consistens, quia diuina dispositione actum est, quòd tota terra venis aquarum plena sit, ne sua ariditate deficeret, sicut corpus animalium est plenum sanguine per venas, quibus vita cõseruatur, per quæ duo, scilicet per terram, & aquam, Dei verbo, idest diuina virtute operante, ille tunc mundus, aqua mundatus, perijt, quasi dicat mũdus purificatus est per ipsam aquam ab infectione perijt, supple, tunc iste mũdus, idest cessauit fructificare, tanto tempore, quanto aquæ diluuij steterunt super faciem terræ, vel perijt mundus, quò ad homines, & animalia habitantia in ipso, remanentia extra arcã. Cœli autem aërei, supple, qui nunc sunt, & terra eodem verbo, idest eadem diuina dispositione reseruati sunt in diẽ iudicij, & perditionis ipsorum hominum, quasi dicat, In quo iudicio fiet perditio, & damnatio ipsorum impiorum hominũ: ex quo patet, duo esse Dei iudicia, vnum per aquam, quod præteriit; & vnum per ignem, quod futurum est. hoc autem latet ipsos hæreticos, qui hoc nesciunt, vel scire nolunt, vel fingunt non scire, vt alios decipiant. deinde cum dicit, Vnum verò.] hîc ponitur, ad rationes hæreticorum responsio, ad cuius intellectũ, notã, hæreticos dupliciter errasse circa diuinum iudicium: primò in eius prolongatione, dicentes, quòd Deus tantùm prolongabit iudicium, quòd de peccatis hominum non recordabitur: ideo homo securè peccare potest. 2. errauerunt de eius ostentatione, dicentes, Dei iudicium non esse, quia nulli reuelatum est, qua hora, vel quo tempore debet fieri. primò ergo remouet primam quæstionem, de prolongatione, dicens, Vnum verò hoc non lateat vos charissimi, quia vnus dies apud Deum.] scilicet est sicut mille anni, & mille anni, sicut vnus dies.] quasi dicat, quòd quicquid potest fieri in mille annis, ita Deus videt, sicut illud, quod fit vno die. ideo nemo debet arbitrari, se non puniendum de peccatis, propter tardationem diuini iudicii, quia non tardat Deus promissis, propter impotentiam, sed patienter agit, expectando propter vos, vt vos, supple, pœniteatis, & in virtutibus crescatis; nolens, alios perire, sed, omnes ad pœnitentiam reuerti, quia dicitur, Ezech. xvi. Nolo mortem peccatoris: est ergo notandum, quòd Dei cognitio, nec potentia variatur, nec per præteritum, nec per futurum,

Tria primæ materię nomina.

Duo Dei iudicia.

4. Redargutio aduersus hæreticorum rationes.

Hęretici dupliciter falsi sunt circa iudicium. Aduersum primum errorem.

turum, sed sicut in esse Dei includitur, Omne esse ita in eius cognitione includitur, cognitio cuiuslibet rei, & cuiuslibet temporis. mille ergo anni apud Deum sunt tanquam dies externa, quæ præteriit, quia omnia nuda, & aperta sunt oculis eius, idest suæ cognitioni. deinde cũ dicit, Aduenient autem. hîc remouet secundam obiectionem, dicens, Aduenient autem dies Domini, supple, iudicii, sicut fur, in qua, scilicet die iudicij cœli aërei, magno impetu, transibunt, idest in formam clariorem mutabũtur. elementa verò calore ignis soluentur, & quæ in ipsa sunt opera exurentur, idest purgabuntur a suis peregrinis qualitatibus, & remanebunt in sua simplici puritate; & licet hoc non sit alicui reuelatum, scilicet de die iudicii, quia hoc Deus posuit in sua potestate: veruntamen erit manifesta illa dies, quando veniet immutatio creaturarum, quæ tunc fiet: nam aliquæ creaturæ ex toto corrumpentur, vt viuentia: aliquæ verò in melius commutabuntur, vt elementa: & hæc omnia ab igne fient, vt infra.

Aduersum secundum errorem.

CUM igitur hæc omnia dissoluenda sint; quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus, & pietatibus, expectantes, & properantes in aduentum diei Domini, per quem cœli ardentes soluentur; & elementa ignis ardore liquescent? NOUOS verò cœlos, & nouam terrã, iuxta promissum ipsius, expectamus, in quibus iustitia habitat. propter quod, charissimi, hæc expectantes, SATAgite immaculati, & irreprensibiles ei inueniri, in pace, & Domini nostri longanimitatem, salutem arbitramini, sicut & charissimus frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam, scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, IN QUIbus sunt quædam difficilia intellectu, quæ INDOCTI, & instabiles detorquent, SICUT & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Uos igitur, fratres, PRAEscientes, cauete, ne, nefariorum errore adducti, excidatis a propria firmitate: CRESCITE verò in gratia, & in cognitione Domini nostri saluatoris IESU CHRISTI, ipsi gloria, & nunc, & in diem æternitatis. Amẽ.

Textus particula. 7.

PRIMÒ ponitur digna exhortatio, & modus cõuersandi inter malos, & prauos. 2. ponitur diuini iudicii superuentio. 3. boni operis executio. 4. ponitur omnium dictorum consummatio: & circa primum, sic dicit,

Vltimæ huius partis capita precipua. 4.

1. Exhortatio, & modus uersandi cum malis.
Conuersaturi cũ prauis debent habere. 4.
1. Charitatem.
2. Pietatē.
3. Spem in Deo.
4. Fidem.

Quicunq; volunt conuersari in medio prauæ, & peruersæ nationis, debent habere charitatem, vt a diuina dilectione non peruertantur, quia Charitas omnia mala suffert, pro amore Dei. 2. debet habere pietatem, vt in amore supernorum ardeat. 3. debet habere spem; vt de Dei misericordia non desperet. 4. debet habere fidem, vt non decipiatur: sed vos gentiles estis conuersantes in medio prauæ, & hæreticę nationis: ergo debetis hæc quatuor habere in vobis. dicit ergo, Cum omnia elemēta soluēda sint; quales oportet vos esse, in conuersationibus?] quasi dicat, Vos oportet esse dispositos ad conuersandum inter hæreticos, & prauos in medio nationis prauę in se, & peruersæ ad alios. ad conuersandum, dico, in sanctis conuersationibus. primo sic per charitatem ad Dominum. 2. per pietatem ad proximum. 3. expectantes per spem. 4. & properantes, scilicet vos per fidem in aduētum Dei, idest iudicij diuini. deinde cũ dicit, Per quem cœli.] ponitur hic Dei iudicij superuentio, sic, Illa dies est multũm timēnda a malis, & cum magno gaudio expectanda a bonis, in qua cœli aërei calore soluentur; elementa ardore tabescent; cœli, & terra innouabuntur; & promissa bonis, & malis dabuntur: sed ista fient in die iudicij: ergo est timenda a malis, & optanda a bonis. dicit ergo, Benè dico, quòd debetis esse parati in aduētum diei iudicij diuini, idest clari, & manifesti, per quem, supple, diem cœli isti aërei, idest contenta in istis inferioribus regionibus, ardentes soluentur, & corrumpentur; & elementa ardore ignis præcedentis, supple, faciem iudicis, tabescent, idest deficient, non quò ad formas eorum substantiales, sed quò ad motum, & qualitates accidentales. nouos verò cœlos, & terram nouā expectamus, iuxta promissum Dei, in quibus, supple, cœlis, iustitia Dei, idest iustus Deus habitat, quia tunc reddet vnicuiq; iuxta opera sua. deinde cum dicit. propter quod charissimi.] ponitur hic nunc boni operis executio sic, Quicunq; expectant iudicari per iustum iudicem, debent se excitare, vt inueniantur immaculati per bona opera in conspectu Dei iudicis: sed vos gentiles dispersi, propter nomen CHRISTI, expectatis iudicari per iustum iudicem CHRISTVM: ergo debetis vos excitare inueniri sine macula in conspectu Domini per bona opera. dicit ergo, propter hoc Charissimi, quia sumus expectantes diem iudicij; satagite, idest fortius agite ei inueniri, idest in conspectu Dei apparere immaculati per peccatorum purgationem, & irreprehensibiles, & in pace, per vestrorum animorum, & voluntatum vnionem, & per longam Domini nostri IESV CHRISTI imitationem, & perpetuam malorum tolerationē; salutem arbitremini, scilicet consequi ab eo, qui æterni præmij expectationem constituit. deinde cum dicit, Sicut & charissimus frater noster Paulus.] hic ponitur omnium iam dictorum confirmatio, ex doctrina Pauli, sic, Illi debent esse confirmati in doctrina fidei, quibus non solum per me, scilicet Petrum, sed etiam, per Paulum

2. Caput iudicii diuini superuētio malis timēda, bonis exoptanda.

Tertiũ, boni operis executio.

4. Principale, Dictorum cõfirmatio, ex doctrina D. Pauli.

Paulumq; fratrem nostrū, scriptum est de eorum salute: sed vos gentiles estis tales, quod non solum per me, sed & per Paulum est scriptum de vestra salute: ergo debetis esse in fide confirmati. dicit ergo, Bene dico, quòd debetis immaculati inueniri in conspectu Domini, sicut & charissimus frater noster Paulus, secundùm datam sibi sapientiam, scribit vobis, sicut in omnibus epistolis loquens de his, supple, de quibus ego prædixi vobis, in qui bus, supple, epistolis Pauli, sunt quædam difficilia intellectu, quę indocti, atq; instabiles deprauant; supple, malè intelligendo, & prauè exponendo, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum, & sequacium damnationem. deinde cum dicit, Vos ergo fratres. ponitur nunc tertia pars epistolæ, in qua ponitur conclusio omnium eorum, quæ dicta sunt, & roboratio, & confirmatio veritatis fidei. ista autem confirmatio, & roboratio veritatis fidei consistit in quatuor. primò in illorum hereticorum vitatione, & quò ad hoc dicit Apostolus, Vos ergo fratres præscientes custodite vos ipsos, ne insipientium scilicet hæreticorum errore traducti, & decepti; quia hæretici multifarios introducūnt errores, quidam diuina eloquia falsificantes; quidam luxuriosè frena laxantes. 2. confirmatio veritatis fidei consistit in veritatis ipsius mãsione: & propter hoc dicit Apostolus, ne excidatis a propria firmitate, ab errore seducti. 3. confirmatio veritatis fidei consistit in augumentatione cognitionis Dei, & quò ad hoc dicit, Crescite verò in gratia, & in cognitione Domini nostri IESV CHRISTI saluatoris nostri. 4. roboratio veritatis fidei consistit in gratiarum actione, & quò ad hoc Apostolus concludit, Ipsi gloria, & nunc, & in die æternitatis idest sine fine. Amen, quasi dicat, Ita fit. formetur ergo sic vltima ratio, Illi sunt roborati in omnibus his, quæ dicta nunc sunt in hac epistola, qui habent hæreticorum errorum vitationem, veritatis fidei mansionem, Dei cognitionis augumentum, & gratiarum actionem: sed vos gentiles dispersi, propter nomen CHRISTI, debetis omnia ista habere, scilicet errorum vitationem, fidei mansionem, Dei cognitionem, & gratiarum actionem: ergo meritò eritis roborati, & firmati in his, quæ dicta sunt in dicta epistola de fidei veritate, & sic terminatur sententia secundæ Epistolæ Canonicæ Beati Petri Apostoli.

DEO gratias.

Amen.

Tertia, & ultima pars epistolæ.

Roboratio ueritatis fidei, per quatuor.

1. Per hæreticorum uitationem.

2. Per ueritatis firmitatem.

3. Per incremētum cognitionis Dei.

4. Per actionem gratiarum.

Rationis ultimæ forma.

FINIS.

R. P. MAGISTRI GREGORII PRIMATICCII SENENSIS, ORDINIS PRAEDICATORVM,

In Epistolam beati Ioannis Apostoli primam, commentarius.

EPISTOLAE ARGVMENTVM.

RATIONEM verbi, & quòd DEVS ipse sit Charitas, manifestat, & susurrones fratrum, nec DEVM scire, nec pios fieri posse eousq; dissertat, vt esse comprobet homicidas, eò quod odium sit interfectionis occasio.

EPISTOLAE CAP. I.

Textus particula. 1.

QVOD fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam æternã, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis: quod vidimus, & audiuimus annunciamus vobis, vt & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum patre, & cum filio eius IESV CHRISTO, & hæc scribimus vobis, vt gaudium vestrum sit plenum, & hæc est annuntiatio, quam audiuimus ab eo, & annuntiamus vobis, QVOD DEVS lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ: SI DIXERIMVS, quòd societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus; mentimur, & veritatem non facimus. SI AVTEM in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad inuicem, & sanguis IESV CHRISTI filij eius, emundat nos ab omni peccato.

SI DIXERIMUS, quòd peccatum nō habemus, ipsi nos sedu cimus, ET VERItas in nobis non est: SI CONfiteamur pecçata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate: SI DIXERIMUS quòd non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis.

EXPOSITIO.

NVNC sequuntur Epistolæ Canonicę B. Ioannis Apostoli, qui scripsit gentilibus immediate conuersis ad prædicationem CHRISTI, & Apostolorum: & primò omnibus scribit. 2. quibusdam particularibus. & primò est notandum, quòd intentio beati Ioannis in hac epistola est hortari hos gentiles specialiter ad duo, scilicet ad fidei cognitionem, & charitatis perfectionē, vt intelligant, quid, credere, vel diligere habeant. verùm, quia doctrina non recipitur nisi credatur, quòd sit firma, & certa: ideo Apostolus tria per ordinem facit. primò ponit doctrinæ fidei certitudinem. 2. ponit ipsius exhortationem. 3. hortatur ad charitatis perfectionem. &, quòd ista doctrina fidei sit aliis certior, patet, ex quatuor. primò ex parte sensuū, quibus acquiritur. 2. ex parte rei, quæ monstratur. 3. ex parte luminis, cui innititur. 4. ex parte docentis, per quem traditur, & omnia ista ponit per ordinem Apostolus. & primò quomodo est certa ex parte sensuum, quibus acquiritur, sic, Illa doctrina est certior omni alia, quæ est acquisita per auditum, per visum, & per tactum, quia isti sunt tres sensus maximè ad sciētiam deseruientes: sed modò talis est doctrina verbi incarnati, & fidei Christianæ; ergo est alijs certior, ad quam doctrinam ego Ioannes exhortor vos gentiles. dicit ergò, quod fuit ab initio.] quò ad eius deitatem, scilicet verbum incarnatum, quod quidem verbum incarnatum nos Apostoli audiuimus prędicantem, & docentem. quod verbum incarnatum vidimus oculis nostris per eius incarnationem, & naturæ humanæ ostēsionem, Bar. 3. post hæc in terris visus est. quod verbum perspeximus, idest eius vitam, & sanctitatem perfectè nouimus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ de quo dictum est, quòd fuit ab initio, & ante sęcula, scilicet, quò ad diuinitatem: nam Apostoli contrectauerunt de verbo vitæ, ipsum palpando, & tangendo, experiendo, ipsum habere veram carnem, & non fantasticam: non solùm ante resurrectionem: sed & post, quando dixit, Palpate, & videte, quoniam spiritus carnem, & ossa non habet, vt me habere videtis. Si igitur Apostoli verbum incarnatum audierunt per illius prædicationem, oculis suis viderunt, per eius humanitatem, & manibus suis continuerunt,

Ioannes primò scribit omnibus in uniuersum, postea quibusdā.
Exhortatur prima episto. Gētiles ad fidei cognitionem & charitatis perfectionem.
Fidei doctrina aliis doctrinis certior demonstratur, per quatuor.
1. Ex parte sensuum.

nuerunt, vel contrectauerunt, ipsum tangendo, & palpando; meritò eorum cognitio, quam de verbo habuerunt, est certior omni alia cognitione. & quia Beatus Ioannes incepit epistolam suã a verbo incarnato, quod fuit ab initio, quod quidem verbum excedit omnia in dignitate, in prioritate, in certitudine, & cognoscibilitate: ideo non fuit sibi necesse in hac epistola præmittere aliquam salutationem, quia tunc oportuisset illum, cuius nomine mitteretur epistola, esse dicto verbo incarnato digniorem, priorẽ, & certiorem, & quia hoc dari non potest; ideo illam prætermisit. deinde cum dicit, Et vita.] ponitur hic certificatio huius doctrinæ ex parte rei visę, sic, Illa doctrina est certior omni alia, cui immediate supponitur, pro subiecto viso, ipsum verbum incarnatum: sed talis est doctrina fidei, quæ est de ipso verbo incarnato: ergo est alijs certior, ad cuius cognitionem ego Ioannes exhortor vos gentiles. dicit ergo dictum est, quòd manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, idest sapientia ipsa diuina, quæ est via, veritas, & vita. manifestata, inquam, est per carnis assumptionem, & nos Apostoli vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam ęternam, idest annuntiamus vobis ipsum Dei filium incarnatum, in cuius visione vita æterna consistit Ioan. x. Hæc est vita æterna, vt cognoscãt te solum verum Deum, & quem misisti IESVM CHRISTVM, quæ quidem vita erat apud Patrem, idest in æterna diuinitate simul cũ patre, & apparuit nobis, supple, in assumpta humanitate: & hoc infallibiliter debetis credere, quia, quod vidimus, & audiuimus, annuntiamus vobis, vt & vos habeatis societatem nobiscum, & societas nostra sit cum patre, & filio eius IESV CHRISTO, idest vt simus hæredes DEI, cohæredes autẽ CHRISTI; & hęc scripsimus vobis, vt gaudeatis, & gaudium vestrum plenum sit, idest in nullo deficiens. deinde cum dicit, ET hæc est annuntiatio.] ponitur huius doctrinæ fidei certificatio, ex parte luminis, cui innititur, sic, Illa doctrina est certior omni alia, quę innititur lumini diuino, cui non potest subesse falsitas, & quæ innititur illi, qui est ipsa lux, & tenebræ in eo non sunt vllę: sed talis est doctrina fidei, ad quam vos gentiles, ego Ioannes hortor. ergo est omni alia certior. dicit ergo, Et hæc est annuntiatio, quam audiuimus ab eo, & annuntiamus vobis, quoniam Deus est lux, & tenebræ in eo nõ sunt vllę: nam Apostoli audierunt eum dicẽtem, Ego sum lux mundi; qui credit in me, non ambulat in tenebris, quia illuminat omnem hominẽ, venientem in hunc mundum. deinde cum dicit, Si dixerimus, quia societatẽ habemus cum eo.] hic ponitur fidei certitudo ex parte docentis, per quẽ traditur, Ad cuius notitiam, nota, quòd docentes hanc doctrinam fidei, debent esse spiritualiter instructi. primò in Dei, & proximi dilectione. 2. in CHRISTI passione. 3. in vera humilitate. 4. in salubri confessione. 5. in veritatis defensione. & primò quòd debent habere Dei, & proximi dilectionem,

Salutatio, in hac epistola, cur omissa.

2. Ex parte rei visæ.

3. Ex parte luminis, cui innititur.

4. Ex parte tradẽtis ipsam doctrinam. Docentes fidei doctrinã quinque præcipuis

ctionem, sic, Quicunq; volunt docere hanc doctrinam fidei, debent habere dilectionem, & societatem cum Deo, & cum proximo: sed nos Apostoli debemus docere hanc fidei doctrinam: ergo debemus habere dilectionem Dei, & proximi. dicit ergo; Dictum est, quòd Deus est lux, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Si dixerimus quoniam societatem habemus cum illo.] idest si dixerimus, nos habere charitatem, quæ sociat nos ipsi Deo, & in tenebris ambulemus.] peccata scilicet habentes: mentimur, & veritatem non facimus. idest alios exemplo nostro, ad mentiendum inducimus: nam, sicut qui diligit fratrem suum, in lumine ambulat, & in luce est; sic ille, qui odit fratrem suum, in tenebris ambulat, quia non est societas lucis ad tenebras, nec conuentio CHRISTI ad Belial. deinde cum dicit, Si autem.] ponitur hîc 2. ratio, sumpta ex parte ipsius passionis, sic, Illi, qui volunt hanc doctrinam docere, debent esse purgati, & purificati per sanguinem CHRISTI IESV, quia sacramenta fidei non nisi purgatissimis mentibus cernuntur: sed nos Apostoli debemus velle docere hanc doctrinam; ergo debemus esse purgati per sanguinem CHRISTI. dicit ergo, Si enim in lucem ambulamus, sicut ipse, scilicet Deus in luce est, tunc societatem habemus ad inuicem, per amorem charitatis, & sanguinis IESV CHRISTI, idest mysterium IESV CHRISTI passionis filij Dei patris emundat nos ab omni peccato actuali, & originali, quia ipse filius Dei lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo. deinde cû dicit, Si dixerimus ponitur 3. ratio, ex vera humiliatione sumpta, sic, Illi, qui volunt docere hanc doctrinam, debent se ipsos peccatores reputare: de proprijs meritis non superbientes: sed nos Apostoli debemus hoc velle, scilicet hanc doctrinam docere; ergo debemus nos peccatores reputare, & nô superbire de nostris meritis. dicit ergo, Si dixerimus, supple, elato in superbia animo, pro aliqua nostra iustitia, idest pro aliquo bono nostro opere, Quoniam peccatum non habemus, tunc nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est, idest Deus non habitat in nobis: nam AB ELATIS DEVS se subtrahit. deinde cum dicit, Si confiteamur peccata nostra.] ponitur 4. ratio, sumpta ex salubri confessione, sic, Illi, qui volunt docere doctrinam hanc Christianæ fidei, debent peccata sua humiliter confiteri: sed nos debemus hanc doctrinam docere: ergo debemus confiteri peccata nostra, dicit ergo, Peccata nostra confiteamur. fidelis, & iustus est Deus, vt remittat peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. deinde cum dicit, Si dixerimus, quoniam non peccauimus.] hic ponitur 5. ratio, sumpta ex veritatis defensione, sic, Illi, qui volunt hanc doctrinam docere, debent ipsum Deum veracem, & non fallacem facere, & prædicare, & eius veritatem veraciter confiteri. sed nos debemus hoc velle, scilicet hanc doctrinâ prædicare: ergo debemus ipsum Deum veracem prędicare, & nô fallacem.

debent esse instructi. 1. In Dei, & proximi dilectione.

2. In Christi passione

3. In uera humilitate

4. In salubri confessione.

5. In ueritatis defensione.

dicit ergo, Si dixerimus, quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, id est ipsum Deum, qui dixit, quòd infans vnius diei non est sine peccato, & sic verbum eius non est in nobis, illud, supple verbum, per quod Deus pater dixit, Quanto maior es, humilia te in omnibus, quia OMNIS, QVI SE HVMILIAT exaltabitur a verbo incarnato, & qui se inaniter exaltat, & iactat, humiliabitur, id est deponetur a verbo incarnato IESV CHRISTO.

CAP. II.

Textus particula. 2.



ILIOLI mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis. Sed &, si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem IESVM CHRISTVM iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nobis autem tantum, sed etiam pro totius mundi. ET IN hoc scimus, quòd cognouimus eũ, si mãdata eius obseruamus. QVI dicit, Se nosse DEVM, & mandata eius non custodit, mendax est, & veritas in eo non est. QVI autem seruat verbum eius, verè in hoc charitas DEI perfecta est. In hoc scimus, quoniam in ipso sumus. QVI dicit, se in ipso manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Charissimi, non mandatum nouum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio. Mandatum vetus est verbum, quod audistis ab initio. Iterum mandatum nouum scribo vobis, quod verum est in ipso, idem verum est & in vobis: quia TENEbræ transeunt, & verum lumen iam lucet. QVI dicit, se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsq; adhuc. QVI diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est. QVI autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ obcæcauecauerunt oculos eius.

Ad euangelicæ fidei doctrinam exhortatio.

POSITA superiùs certificatione doctrinæ fidei euangelicæ: in hac parte ponitur dictę doctrinæ exhortatio. & est notandum, quòd tota integritas istius doctrinæ in tribus consistit. primò in Dei cognitione. 2. in temporalium abiectione. 3. in errorum vitatione: & quò ad primam partem, nota,

nota, quòd Dei cognitio in quinq; videtur consistere, & primò in confidentia diuinæ misericordię. 2. in mandatorum Dei obseruatione. 3. in viæ Dei imitatione. 4. in eius dilectionis permanentia. 5. in proximi diligenti amore propter Deum: & sic hæc pars diuiditur in quinq; partes, secũdum hæc qninq;, quę dicta sunt: & in prima parte intẽdit talem rationẽ, Quicunq; volunt in se habere perfectam Dei cognitionem, debent de Dei misericordia confidere, vt, si contingat, eos peccare, non debeant de Dei misericordia desperare, sicut Caim, qui dixit, postquam fratrem suum occiderat, Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear: sed vos debetis velle habere perfectam Dei cognitionem; ergo debetis confidere in Dei misericordia, & non desperare. dicit ergo, Filioli mei, hæc scribo vobis ad hoc, vt bene in memoria habeatis, ac retineatis, vt non peccetis: sed, si quis, tanquam filiolus, & paruulus, ex humana fragilitate, peccauerit; aduocatum habemus apud Deum, & patrem, IESVM CHRISTVM iustũ, & ipse iustus, in quo non est iniustitia: sed est solus iustus, & iustificans alios. ipse, inquã IESVS CHRISTVS iustus, & aduocatus, & non solùm aduocatus, sed etiam propitiator, idest mundator, purgator, & satisfactor pro peccatis nostris. propitiator, inquam, non æquiualens: sed suprabundans, quia, non tantùm pro peccatis nostris; sed etiam totius mundi; & nota, quòd Dei filius, dicitur aduocatus noster pro sanctorum conuersione, Ioan. xvii. Ego pro eis rogo, scilicet pro sanctis, non pro mundo rogo, idest non pro mundanis, pro eis scilicet sanctis rogo, vt serues eos à malo, tu pater æterne serues, inquam, a malo culpę, & sic conuertentur. dicitur etiam aduocatus per impetrationem venię ipsorum offendentium, Luc. xxiii. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. dicitur etiam aduocatus per peccatorũ omniũ dimisionem, Hebr. 4. Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus, idest fragilitatibus nostris: & Hebr. 9. Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus coinquinatos sanctificat, ad emundationem carnis, supple, non animæ; quanto magis sanguis CHRISTI, idest CHRISTVS per sanguinem suũ emundabit conscientias nostras, idest animas nostras ab operibus mortuis, idest a peccatis, ipsa scilicet remittendo? Aliter tamen filius Dei dicitur iudex, & aliter aduocatus. nam iudex dicitur ratione deitatis: dicitur aduocatus ratione humanitatis. vnde Greg. ait, Quòd magna nobis est spes, pœnitentibus, quia iudex noster factus est aduocatus noster. dicitur autem filius DEI IESVS, pro eo quòd non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat omnes homines saluos fieri nisi in hoc nomine IESV. dicitur eti.m filius DEI CHRISTVS pro gratiæ vnctione, quia ipse fuit vnctus in regem, & sacerdotem nostrum, & oleo omnium gratiarum præ omnibus suis consortibus, idest prę omnibus hominibus. dicitur etiam Dei filius iustitia, per recti iu-

Doctrina huius integritas tribus constat Dei cognitione, temporalium abiectione, errorum uitatione.

Dei cognitio cõsistit in quinq;.

1. In confidentia diuinæ misericordiæ.

Filius Dei, aduocatus noster, per tria.

1. Per sanctorum cõuersionem.

2. Per impetrationem uenię offendentium.

3. Per peccatorũ dimisionem

Vt filius Dei dicatur iudex, & aduocatus.

dicij cognitionem, quia rectus es Domine, & rectum iudicium tuũ. ideo pater omne iudicium dedit filio. dicitur Dei filius propitiatio per peccatorum nostrorum satisfactionem, quia, vt infra 4. dicitur Deus pater misit filium suum propitiationem, idest satisfactionem pro peccatis nostris: nam eius passio fuit sufficiens satisfactio pro omnibus, sed efficienter fuit propitiatio solùm illis, qui CHRISTO incorporati sunt per fidem, & charitatẽ. deinde cum dicit, Et hoc scimus.] ponitur 2. ratio, sumpta ex mandatorũ Dei obseruantia, sic, Quicunq: debent cognoscere ipsum Deum, debent eius mandata seruare: sed vos gentiles debetis Deum cognoscere; ergo debetis eius seruare mandata: quia, qui dicit, se nosse Deum, & mandata eius non seruat; mendax est, & veritas in eo non est, idest Deus, vel Dei cognitio in eo non est. dicit ergo, Quòd in hoc scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius seruamus, quia, qui dicit, se nosse Deum, & mandata eius non seruat, mendax est, idest fallit se ipsum, & veritas in eo non est, idest non iustè operatur. qui autem seruat verbum Dei, idest, quod Deus dicit, & mandata; verè in isto charitas, & amor Dei perfecta est, Charitas dico viatorum non comprehensorum quæ in via haberi non potest. deinde, cum dicit, in hoc scimus.] hîc ponitur tertia ratio, sumpta est vestigio eius imitationis, sic, Quicunq; volunt Dominum cognoscere, debent perfectè in eo manere per perfectam dilectionem, & debent ipsius CHRISTI vestigia imitari, ambulando, vt ipse ambulauit, vt posit dicere, quod dixit Iob. xxiii. vestigia eius secutus est pes meus: sed vos gentiles debetis Deum cognoscere, & in eo manere: ergo debetis eius vestigia imitari. dicit ergo, Benedico, quòd, qui obseruat mandata Dei, in eo perfecta est charitas, quia in hoc cognoscimus, & scimus, quia in ipso sumus, scilicet per obseruantiam mandatorum eius. nam, qui dicit, se in illo manere; debet, sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare: nam ipse CHRISTVS ambulauit in summa humilitate, in iustitiæ æquitate, in vitæ sanctitate, in vera charitate, in maxima passibilitate. deinde cum dicit, Charissimi ponitur 4. ratio, sumpta ex eius dilectionis permanentia, sic, Quicunq; volunt Deum perfectè cognoscere, debent in eius dilectione semper manere: sed vos gentiles vultis, & debetis Deum perfectè cognoscere; ergo debetis semper in eius dilectione manere: dicit ergo, Charissimi, non mandatum nouum scribo vobis.] idest nouiter institutum: sed mandatum vetus, quod habuistis a principio, mandatum vetus est verbum, quod audistis, idest verbum de dilectione, quod habuistis a me, & ab aliis prædicatoribus, est illud mãdatum vetus: & ideo vetus, quia iam audistis illud iterum. mãdatum nouum scribo vobis, idest lucidum, quod verum est in CHRISTO, & in vobis, quia tenebræ iam trãsierunt, & verum lumen iam lucet, quia iam in CHRITO transierunt tenebræ, quia passibilitas corporis, & miseriæ carnis in eo iam præterierunt, & verum

2. In quo cõsistit Dei cognitio, mandatorũ obseruãtia.

3. Vestigiorum eius imitatio.

Viæ Domini, quinque

4. In permanentia dilectionis Dei.

rum lumen immortalitatis in eo lucet, in nobis autem transierunt tenebrę, quia, figuris, & obscuritatibus legis antiquae expulsis, lumen veritatis euágelicae iam lucet, & manifestatũ est: nam licet, respectu futurę gloriae, adhuc simus in vmbra; tamen, respectu praeteriti, reuelata facie, gloriam Domini contemplamur. deinde cum dicit, Qui dicit se.] ponitur nunc quinta ratio, sumpta ex proximi, propter Deum, dilectione, sic, Quicunq; volunt Deum cognoscere, debent suos proximos diligere, quia, qui fratrem suum odit, in tenebris est, & omni cognitione caret. sed vos gentiles vultis Deum cognoscere; ergo debetis proximos vestros diligere. dicit ergo, Qui dicit, se in luce esse, idest in CHRISTO; qui lux est mundi, & fratrem suum odit, quem Deus pręcepit diligi, in tenebris est, scilicet peccatorum vsq; adhuc, idest vsquequo permanet in odio. qui verò fratrem suum diligit, in lumine manet, & scandalum non est in eo, quia non scandalizat alios, neq scandalizatur ab alijs: sed, qui odit fratrem suum, in tenebris est peccatorũ, & in tenebris ambulat peccatorum, & nescit quò vadat, quoniam tenebrę peccatorum obcęcauerunt oculos eius, interiores, & exteriores.

5. In quo Dei cognitio cõsistit, Dilectio proximi propter Deum.

SCRIBO vobis, filioli, quòd remittuntur vobis peccata, propter nomen eius. Scribo vobis, patres, quoniam cognouistis eum, qui ab initio est. Scribo vobis, adolescentes, quoniam vicistis malignum. Scribo vobis, infantes, quoniam cognouistis patrem. Scripsi vobis, patres, quoniam cognouistis eum, qui est ab initio. Scribo vobis, iuuenes, quoniam fortes estis, & verbum DEI manet in vobis, & vicistis malignũ. NOLITE diligere mundum, neq; ea, quae in mundo sunt. SI QUIS diligit mundũ, non est charitas patris in eo, quoniã OMNE, QUOD est in mundo, videlicet concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & superbia vitae, non est ex patre, sed ex mundo est. ET MUNDUS transit, & concupiscentia eius. Qui autem facit voluntatem DEI, manet in aeternum.

Textus, particula. 3.

IN hac parte hortatur gentiles illos ad contemptum temporalium, sic, Quicunq; volunt contemnere mundum, & quae in mundo sunt, debent esse dispositi, primò per peccatorum remissionem. 2. per sapientiae discretionem. 3. per carnis mortificationem. 4. per humilitatis subiectionem. 5. per fidei defensionem. 6. per diuini verbi reetentionem: sed vos gentiles debetis mundũ, & ea, quae sunt in mundo, cõtemnere; ergo, per haec omnia,

Exhortatio ad temporalium contẽptum. Sex disponunt, 1. Peccatorum remissio.

debetis ad id esse dispositi. continua sic, Dictum est, quòd ad fidei integritatem requiritur primò Dei cognitio. 2. mundi, & mundanorum cõtemptus, ad quem mundum contemnẽdum debeo disponere vos gentiles. scribo ergo vobis, filioli.] idest vobis pueris, & non plenè eruditis in fide. scribo, inquam, quoniam remittuntur vobis peccata vestra, scilicet originalia, per nomen eius, idest ad inuocationẽ nominis CHRISTI, in baptismo, idest remittitur peccatũ originale in baptismo, per inuocationẽ nominis CHRISTI. quia tũc Apostoli, nutu spiritus sancti, & nõ per se ipsos sic ordinauerũt baptizare; vt nomen IESV CHRISTI celebre haberetur: sed, post diuulgationem euangelij, iam non licet sub illa forma baptizare. scribo vobis patribus, tanquã maioribus, & melius instructis, quoniã cognouistis eũ, qui est ab initio, idest filiũ patris ęterni, qui est æternaliter a patre genitus. ideo, quia eum cognouistis, debetis mundum non cognoscere; sicut mundus eum non cognouit. Scribo vobis adolescentibus, tanquam fortibus, quoniam vicistis malignum.] idest vicistis mundum, qui totus in maligno positus est, vel vicistis malignitates, & fraudes maligni diaboli, scilicet per carnis mortificationem. scribo vobis infantibus.] tanquam modo genitis; scribo, quoniam cognouistis patrem, scilicet animarum vestrarum Deũ, humiliando vos ipsos sub omnipotenti manu eius. scripsi vobis patribus, tanquam senioribus, & non noua, sed idem, quod prius; quoniam cognouistis eum, qui est ab initio, & in eo manete, vt senes, non ætate, sed fidei firmitate. scribo vobis iuuenibus. tanquam fortioribus, & bene instructis ad fidei defensionem, & retentionem. Scribo, inquam, quoniã verbum, idest fides incarnationis diuini verbi, idest filii Dei, manet in vobis, ex cuius virtute vicistis malignũ, idest mundum, vel diabolum. vel dic, Scribo vobis, filioli.] Apostolus explicat multas hominum differentias, quibus scribit, tanquam ambulantibus in luce. tria enim hominum genera assumit, scilicet filios, patres, & adolescentes, & quantum ipsa nomina innuunt, nunciant incipientes, proficientes, & perfectos, quos animat ad mundanorum contemptum; incipientes appellando filios; proficientes, adolescentes: & perfectos, patres: & singulis statibus scribit, vt ipsa repetitio non careat mysterio: quoniam dicit primò, Scribo vobis, filioli, remittuntur vobis peccata vestra.] propter nomen eius. I. IESV CHRISTI. hìc aptè filiolis, idest incipientibus, remissio peccatorum commendatur: quoniam sic ambulant in luce, vt eorum studium, ad remissionem consequendam peccatorum, annitatur. scribo vobis patres, quoniam cognouistis eum, qui est ab initio.] De IESV CHRISTO est sermo, ad cuius diuinitatis notitiam ascendunt perfecti. ascendunt autem, transeundo, per contemplationem, ea, quæ humanitatis CHRISTI sunt, ad ipsum, qui est ab initio, idest ad Deum. scribo vobis adolescentes, qui estis proficientes, quoniam vicistis malignum

2. Sapiẽtiæ discretio. 3. Carnis mortificatio. 4. Humilitatis subiectio. 5. Fidei defensio. 6. Diuini uerbi retentio.

Ad tria hominum genera scribit Apostolus,

Ad incipiẽtes.

Ad perfectos.

Ad proficiẽtes.

malignum.] idest malum, ad significandum diabolum, qui est verè malus humano generi, quem vicisse attribuitur proficientibus, qui iam consecuti peccatorum veniam aduersus diabolum, pugnam susceperunt, & illum vicerunt; & cum hac victoria ambulant in luce. scribo vobis infantes.] idest filioli. iterum, se scribere, dicit, filioli, alia ratione, quoniam cognouistis patrem. prius enim dixerat, Remittuntur vobis peccata vestra, propter nomen eius, idest CHRISTI: modo dicit eis, quoniam cognouistis, scilicet notitia fidei, patrem Domini nostri IESV CHRISTI, vt, fidem incipientiũ intelligamus non sistere in CHRISTO homine tantùm; sed extendere se ad mysterium Trinitatis. vtrunq; enim oportet, quantuncunq; incipientes, credere. scripsi vobis, patres, quoniam cognouistis eum, qui est ab initio.] ex integro repetit, nulla additione, vel diminutione facta; nisi mutato SCRIBO IN SCRIPSI, quia, quò altius tendat cõtemplatio perfectorum, non habet, quàm ad eum, qui ab intio est. in cęteris repetit aliquid altius. repetit autem ad patres sermonem, vt ipsa repetitio fomẽtum quoddam sit ad seruandam celsitudinem eorum. scribo vobis iuuenes.] idest scripsi vobis adolescentes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum.] idest malum, & hîc quoq; mutat SCRIBO, in SCRIPSI, quoniam, secundum rem, repetitio est. secundùm explicationem autem, victoria per partes explicatur ipsorum proficientiũ, videlicet per verbum Dei, dirigens proficientes, & per fortitudinem exequentem. postremo loco autem reseruauit victoriam aduersus diabolum, ad continuandũ cũ victoria aduersus mundũ, Nolite diligere mundum, neq; ea, quæ sunt in mundo. nota quòd dilectioni Dei non solùm contrariatur odium proximi, sed etiam dilectio mundi, & mundanarum rerum. ideo Ioannes a diligente Deum superius exclusit odium fraternum: modò excludit dilectionem mundi. & ponit primò abdicationem mundi, & omnium rerum mũdanarum, dicens, Nolite diligere mundum.] & formatur ratio sic, Quicunq; volunt Deum diligere, debent odisse mundum, & ea, quæ sunt in mundo: sed vos gentiles debetis Deum diligere; ergo debetis odisse mundum, & ea, quæ sunt in eo. dicit itaque, Nolite diligere mundum, quasi dicat, non diligatis mundum in se, per eius præsentem in habitationem, imò magis quilibet cupiat dissolui & esse cum CHRISTO, neq; diligatis ea, quę sunt in mundo, per rerum, in ipso existentium, inordinatam dilectionem: sed quilibet omnia mundana arbitretur, vt stercora, sibi fore; & hoc, vt CHRISTVM lucrifaciat, quia, si quis diligit mundum in se ipsum, & per se, & ea, quæ in mundo sunt simili modò, non ad necessitatem, sed magis ad superfluitatem; non est charitas patris, idest vera charitas non est in eo. deinde cũ dicit, Quoniam omne.] ponitur ratio istius abiectionis, sic, omnia, quæ sunt in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum.

Iterum ad incipientes

Ad perfectos.

Ad proficientes.

De contemptu mũdi, ratio.

Rationis corroboratio.

oculorum, aut superbia vitæ: sed talia sunt abiicienda, quia non ex patre, sed ex mundo sunt: ergo mundum, & ea, quę in mundo sunt, non debetis diligere. dicit ergo, Quòd si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo, quia omne, quod est in mundo, est concupiscentia carnis; sic vt sub concupiscentia carnis comprehendat omnia, quæ ad voluptatem, & delitias pertinent, vt cibus, potus, concubitus, & omnia talia carnalia, aut est concupiscentia oculorum, vt per hoc intelligatur omnis curiositas, quæ fit in addiscentibus artes magicas, in contemplandis spectaculis turpibus, in superuacuis acquirendis rebus temporalibus; aut est superbia vitæ quæ propriè est, cum quis iactat se in honoribus, & magnas facultates expectat. quæ quidem superbia non est ex patre Deo, cui debemus subijci: sed est ex mundo, quem debemus calcare. deinde cum dicit, Et mundus transiit.] ponitur dictę nunc rationis probatio, sic, Illa sunt spernenda, quæ sunt transitoria: sed istæ nunc dictę cócupiscentię, sunt transitoriæ; ergo meritò sút spernendæ. dicit ergo, Bene dico, quòd superbia non ex Deo, sed ex mundo est, & mundus transit, & concupiscentia eius. qui verò diligit Dominú, &, qui facit voluntatem Dei, manet in æternum, idest non peribit æternaliter, quia, qui, rebus labentibus innititur, necesse est, vt, eis labentibus, labatur: sic, qui rebus perpetuis innititur, necesse est, vt, ipsis permanentibus, ipse permaneat.

Concupiscentia carnis quæ có prehendat. Concupiscétia oculorum quæ amplectatur. Superbia uitæ. Mundanarum rerum lapsus.

Textus particula 4.

FILIOLI, nouissima hora est, &, sicut audistis, quòd Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt. vnde scimus, quòd nouissima hora est. EX nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam, si fuissent ex nobis, permansisset vtiq; nobiscum: sed, vt manifesti sint, quòd non sunt omnes ex nobis; sed vos vnctionem habetis a sancto, & nostis omnia. non scripsi vobis, quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scietibus eam, &, quòd omne mendacium ex veritate non est. QVIS est mendax, nisi is, qui negat, quòd IESVS est CHRISTVS? Hic est Antichristus, qui negat patrem, & filium. OMNIS, qui negat filium, nec patrem habet. Vos, quod audistis ab initio, in vobis permaneat, Quia, si in vobis permanserit, quod audistis ab initio, & vos in filio, & patre manebitis, & hæc est repromissio, qua ipse pollicitus est nobis vitam æternam. Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos, & vnctio, quam accepistis ab eo, ma-

netin

net in vobis, & non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed, sicut vnctio ipsa docet vos de omnibus: & verum est, & non est mendacium: & , sicut docui vos, manet in ea: Et nunc, filioli, manete in eo, vt, cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius. Si scitis, quòd iustus est, scitote, quòd & omnis, qui facit iustitiam, ex ipso natus est.

NVNC hortatur illos gentiles ad hæreticorum vitationem, & primò docet cognoscere hæreticos, quia sumus in vltima mundi ætate. 2. ex eorũ instabilitate: & prima ratio formatur, sic, In vltima ætate debent venire multi hæretici, & antichristi: sed nunc sunt multi hæretici, & antichristi; ergo nunc sumus in vltima ætate mundi. dicit ergo, Filioli, quasi dicat, Filij a me dilecti tenerrimè, vt patres solét filios paruulos tenerrimè diligere. filioli, inquam, nouissima hora est, quia sic audistis a me, supple, & ab alijs Apostolis, quia Antichristus venit, idest venire debet in vltima ætate. nũc autem antichristi multi sunt. vnde scimus, quia nouissima hora est, & vltima mundi ætas, quia modò facti sunt multi antichristi. nam CHRISTVS dicitur vnctus; antichristi isti dicuntur, quia sunt chrismate vncti, & baptizati, propter quod possunt melius decipere, & sunt tales CHRISTO, & eius Ecclesiæ contrarij. deinde cum dicit, Ex vobis prodierunt.] nunc docet cognoscere hereticos ex eorum instabilitate, sic, Illi non sunt fideles, qui mala intentione ad fidem veniunt, & in ea non permanent: sed tales sunt hæretici, & mali Christiani; ergo omnes tales sunt infideles, & instabiles. dicit ergo, Ex nobis prodierunt, supple hæretici, & falsi Christiani, idest ab vnitate fidei cessauerunt, ac recesserunt, tanquam conuenientes nobis cum in sacramentorũ perceptione: sed ex nobis non erant, charitatis communione. nam si fuissent ex nobis, charitatis communione, & ex diuina prædestinatione, & electione speciali: permansissent nobiscum, in fidei cõfessione, ac defensione: sed ideo, supple, exierunt de consortio nostro, vt manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis, quasi dicat, vt appareat, eos omnes non esse de corpore Ecclesiæ. deinde cum dicit, Sed vos vnctionẽ habetis.] docet hæreticos vitare, ex spiritus sancti veritate, sic, Illi, qui sunt vncti vnctione spiritus sancti, & eius veritate edocti, non indigent doceri ab alio, quia, per talem veritatem, possunt omnem falsitatem hæreticorum vitare: sed vos gentiles estis vncti vnctione spiritus sancti, & eius edocti veritate; ergo potestis omnem falsitatem hereticorom vitare. dicit ergo, sed vos gentiles conuersi, vnctionem habetis a spiritu sancto, & nostis omnia: ideo nõ scripsi vobis, quasi ignorantibus veritatem fidei; sed quasi sciẽtibus eam, edocti ab illo spiritu veritatis. deinde cũ dicit, Et quoniam mendacium.

Fidei stabilitas persua detur.

Hæretici cognoscuntur, primò quòd sumus in ultima ætate.

2. Heretici cognoscendi ex instabilitate.

Heretici. 1. uitandi, ex spiritus sancti ueritate

2. Heretici uitandi, ex aperta eorũ falsitate.

dacium.] docet nunc hæreticos vitare, ex eorum aperta falsitate, sic, Omne mendacium ex veritate non est: sed vos gentiles habetis veritatem fidei: ergo falsitatem hæreticorum, per talem veritatem, vitare potestis. dicit ergo, Et quoniam omne mendacium ex veritate nõ est, idest ex Deo nõ est, qui est veritas; vel ex veritate non est, idest ille, qui mentitur, ex Deo nõ est, imò ille est mendax, qui ipsum CHRISTVM, qui est veritas, negat. ideo subdit, Et quis est mendax, nisi is, qui negat, quoniam IESVS est CHRISTVS?] idest, qui negat, messiam esse Deum, & hominem; nam talis negans est Antichristus, idest est contrarius CHRISTO, & quis est contrarius CHRISTO? ille, qui negat patrem, & filium: nam omnis, qui negat filium, & patrem non habet.] idest negat & patrem, qui autem cõfitetur filium, habet & patrem, idest confitetur & patrem. deinde cum dicit, Vos, quod audistis.] hic Apostolus suadet, vt in chatholica veritate firmiter permaneant: & primò, vt permaneant in patris, & filij promissione, sic, Quilibet debet permanere in promissione, & in vocatione, ad quam vocatus est: sed vobis gentilibus cõuersis promissa est vita æterna, & ad eius gloriam estis vocati; ergo debetis permanere in illa promissione. dicit ergo, Dictum est, quòd, qui negat patrem, negat & filium: sed vos, quod audistis ab initio, in vobis maneat; quia, si in vobis permanserit, scilicet illa veritas, quam a principio nostrę vocationis audistis; & vos in patre, & filio manebitis; & hæc est promissio, quam ipse pollicitus est vobis, scilicet vitã æternam. deinde cum dicit, Hæc scripsi vobis.] hortatur vt persistant in spiritus sancti vnctione, sic, Quicunq; sunt edocti per vnctionem, & gratiam spiritus sancti, debent in illa vnctione, & gratia permanere; quia sic non indigent ab alio doceri: sed vos gentiles conuersi estis, vnctione spiritus sancti vncti; ergo debetis in illa vnctione, & gratia permanere. dicit ergo, Scripsi vobis de his, qui seducunt vos, idest de ipsis hæreticis, qui alios extra veritatem ducunt, iuxta illud, Iere.xxxiiii. Seduxerunt populũ meũ in mendacio suo; & vos vnctionem, quam accepistis ab eo, idest a spiritu sancto maneat in vobis, scilicet illa vnctio, & gratia veritatis fidei euangelicę, quam vos docuit spiritus sanctus, interius illuminans mentes vestras, maneat in vobis, supple, & sic nõ necesse habetis, quòd aliquis vos doceat, quasi dicat, sic fiat, vt, docente vos spiritu interius, minus indigeatis exterius, hominum instructione doceri: sed sicut eius vnctio, idest instructio spiritus sancti docet vos de omnibus spectantibus ad nostram salutem; & verum, scilicet docebit vos, & non mendacium: & ideo, sicut docui vos, manete in eo, scilicet spiritu veritatis. deinde cum dicit, Et nunc filioli.] suadet nunc, vt sint fortes in CHRISTI confessione, sic, Illi debent fortiter permanere in CHRISTI nominis confessione, qui expectant per diuinam iustitiam præmiari: sed vos gentiles, conuersi expectatis, per diuinam iustitiam

In catholica ueritate firmiter permanendũ.

In sancti spiritus unctione permanendũ.

Fortiter permanendum in cõfessione Christi.

iustitiam, præmiari: ergò debetis esse fores in CHRISTI nominis confessio ne. dicit ergo, Et nunc filioli, idest humiles filij, manete in eo, idest in fide CHRISTI, vt, cum apparuerit, scilicet iudex noster, habeamus fiduciam recipiendi præmium, & non confundamur ab eo in aduentu eius, idest vt confusionem ab ipso non recipiamus, si eum negauerimus, quia tunc ipse negabit nos. ipse ergo fidelis permanet, quia se ipsum negare nō potest. vn de subdit. Si scitis, quoniam iustus est. ideo scitote, idest scire debetis, quo niam & omnis, qui facit iustitiam, idest qui iustè operatur ex ipso, scilicet Deo, natus est, scilicet per eius imitationem, & gratiæ infusionem.

CAP. III.



IDETE, qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij DEI nominemur. propter hoc Mundus nō nouit vos, quia non nouit eum. Charißimi, nunc filij DEI sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus autem, quòd, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniā videbimus eum, sicuti est. Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est. Omnis, qui facit peccatū, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas, & scitis, quòd ille apparuit, vt pecca ta tolleret, & peccatum in eo non est. OMnis, qui in eo manet, non peccat, & omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eū. Filioli, Nemo vos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit filius DEI, vt dissoluat opera diaboli. Omnis, qui natus est ex DEO, peccatum non fa cit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex DEO natus est. In hoc manifesti sunt filij DEI, & filij diaboli. Omnis, qui non est iustus, non est ex DEO, & qui non diligit fratrem suum; quoniam hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, vt diligatis inuicem, non sicut Caim, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eū? Quoniā opera eius mala erant, fratris autē eius iusta. Textus par ticula. 5.

Exhortatio ad charitatis perfectionem, ex quinq;. 1. Assimilatione ad Deum.

In hac hortatur illos gentiles conuersos, & dispersos, pro CHRISTI nomine, ad charitatis perfectionem. & primò inducit, & hortatur illos ad diuinam assimilationem, qua filij Dei appellantur. 2. ad peccatorum detestationem. 3. ad iustitię operationem. 4. ad Dei imitationem. 5. ad odij, & rancoris remotionem. & primò sic; Quicunq; volunt verè filij Dei vocari, & esse, debent ita se mundare in præsenti vita, & sic ipsum mundum odisse, vt, cum apparuerit, scilicet in fine mundi, Dei filius, similes ei efficiantur: sed vos gentiles conuersi, debetis velle nominari & esse filij Dei, propter charitatem, quam ipse circa nos habet, per quam vult nos in suos filios adoptare: ergo debetis vos mundare in præsenti vita, & mundũ odisse, vt, cum venerit, similes ei efficiamini. dicit ergo, Videte, idest diligenter cõsiderate, qualẽ charitatẽ dedit nobis Deus pater, vt filij Dei nominemur, & simus.] quasi dicat, quòd nõ tantùm nomine, sed etiã re, & veraciter simus filij Dei. propter hoc enim.] idest propter dilectionẽ Dei, mũdus nõ nouit nos, quia nõ nouit eũ, idest non nouit patrẽ, a quo talem charitatẽ, & talem dilectionẽ habemus, per quam filij eius nominamur, & nõ tãtùm nominamur, sed & sumus: vnde subdit, Charissimi, nunc filij Dei sumus, per eius adoptionem, & nondum apparuit, quid erimus in futuro. Scimus tamen, quoniam, cum apparuerit, scilicet filius Dei, in secundo aduentu ad iudicium, similes ei erimus, quia immortales, & impassibiles erimus secundùm corpus, sicut est filius Dei, & videbimus eum, sicuti est, idest in seipso, in ipsa sua Trinitatis substantia, quod in hac vita nulli hominũ concessum est, & omnis, qui habet spem hanc, in eo, quod ad similitudinem eius perueniet, sanctificat se, idest a terrenis se purgat, & maculis: sicut ille sanctus est: non tamẽ sicut quasi ad eius sanctitatem attingendo; sed sicut est, scilicet, eius sanctitatem imitando. deinde cum dicit, Omnis, qui facit peccatum.] hic ponitur. 2. quod facit Deo assimilari, & tale est peccatorũ detestatio, sic, Qui volunt in Deo manere, & Deo assimilari, debent detestari peccatum, & omnem iniquitatẽ: sed vos gentiles dispersi debetis Deo assimilari; ergo debetis detestari peccatum, & omnem iniquitatem, idest omne id, quod est contra Dei legem, quod nos turpes facit. dicit ergo, nõ solùm debetis vosmet sanctificare, & a peccatis purgare, vt Deo possitis assimilari, verùm etiam debetis peccata detestari, quia omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit, idest contra legem Dei operatur, cuius ratio est, quia & peccatum est iniquitas, idest est contra legem Dei, & peccatum magis, quàm iniquitatem vitare potestis, quia iniquitas plus est, idest plura dicit aliquando, quàm peccatum, & tunc grauius quid est; quia omnis iniquitas est peccatum: non autem omne peccatum est iniquitas. quia peccatum dicit defectum; sed iniquitas addit supra peccatum: quia iniquitas dicit in iniustitiam, malignitatem, & iniuriam: & verè potestis peccata vitare, ex Dei au-

2. Ex detestatione peccati.

Peccatum, & iniquitas non cõuertuntur. maius enim quiddã iniquitas.

Dei auxilio, quia & scitis, id est scire debetis, quia ille, scilicet filius Dei, apparuit in carne, vt peccata tolleret, & deleret: & verè tollere potuit, quia peccatum in eo non est, nec fuit; imò omnis, qui in eo manet, non peccat: è conuerso omnis, qui peccat, non videt eum, scilicet Deum, per charitatē, nec cognoscit eum, scilicet Deum per fidem, & vitæ sanctitatem. deinde cum dicit, Filioli.] hîc ponitur. 3. quod facit nos Deo assimilari, sic, Quicunq; volunt Deo assimilari, debent iusta operari, ipsi Deo se subijciendo, & peccata, & opera diaboli vitando: sed vos gentiles conuersi, debetis Deo assimilari; ergo debetis opera diaboli, & peccata vitare. dicit ergo, Filioli, nemo vos seducat, id est extra viam veritatis ducat, aut decipiat; quia, qui facit iustitiam id est iustè operatur, supple, hic iustus est, sicut, supple, & ipse CHRISTVS iustus est, scilicet per imitationē, & per æquiperantiā ipsius. qui autem facit peccatum ex diabolo est, non per originem, sed per imitationem; cuius causam subdit; quoniam ab initio diabolus peccat, quia a primo principio sui modi operandi non conuertit se in Dominum, vt debuit, & potuit: & sic peccauit. ideo in hoc, id est propter hoc, apparuit filius Dei, scilicet in carne latēs, vt dissoluat opera diaboli, id est vt dissoluat illam pronitatem ad malum, quam, diabolo consentiendo, contraximus: nam Adam a Deo factus est; sed diabolo natus est peccando, & ei consentiendo; quia tales nos tunc genuit, qualis ipse fuit. ideo omnes nascimur peccatores. CHRISTVS ergo natus est, vt dissoluat peccata hominum, & reducat ad vitam. deinde cū dicit, Omnis, qui natus est.] ponitur 4. quod facit nos Deo assimilari, sic, Quicunq; volunt Deo assimilari, debent ipsum imitari: sed vos gentiles conuersi, vultis, & debetis Deo assimilari; ergo debetis Deum imitari. dicit ergo, Qui natus est ex Deo, scilicet per Baptismum, peccatum nō facit, quoniam semen ipsius in ipso manet, hoc est verbum Dei seminatum in ipso manet, & non potest peccare; quoniam ex Deo natus est, id est quandiu verbum Dei, & charitas eius manet in eo, vel non potest peccare, id est non potest finaliter in peccato perseuerare, maximè iste, qui est prædestinatus, vt sic, & ordinatus in vitam ęternam. deinde cum dicit, In hoc manifesti sunt.] ponitur hîc. 5. quod nos Deo assimilari facit, sic, Quicunq; volunt Deo assimilari, debent odiū, inuidiam, & omnem rancorem deponere: sed vos gentiles, debetis Deo assimilari; ergo debetis odium, inuidiam, & omnem rancorem deponere. dicit ergo, in hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli, scilicet in charitate, quia sola charitas, vt ait August. diuidit inter filios Dei, regis æterni, & filios perditionis æternę: nam omnis, qui non est iustus, non est ex Deo; & qui non diligit fratrem suum, supple, non est iustus, quia non obseruat legem, quæ dicit, Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. & quòd iustitia sit in ipsa obseruatione legis, quæ est de dilectione; manifestat, dicens, Quoniam hæc est annuncia-

3. Ex iustitiæ operibus.

4. Ex imitatione Dei.

5. Ex abiectione prauitatis, quę inuidiā gignit, & rancorem.

nunciatio, vel commonitio, quam audistis ab initio, scilicet vestrã conuersionis, vt diligatis alterutrum nó dolosè, sicut Caim, qui ex maligno erat, idest ex diabolo, per imitationem, eò quod occidit fratrem suum Abel; Genes. iiii. cumq; essent in agro surrexit Caim aduersus fratrem suũ Abel, & interfecit eũ: & quare eum occidit?] quoniam opera eius, scilicet Caim maligna erant, idest inuidia plena, & ideo circa fratrem dilectionem habere non poterat. opera autem fratris eius Abel erant iusta, & bona.] nam, vt Aug. dicit, Vbi est inuidia, non est firmus amor: & subdit, opera Caim, mala non dixi, nisi inuidiam & odium fratris. opera verò Abel, iusta, & bona non dixi, nisi charitatem, in qua omnia habentur, quę bona sunt, & meritoria, & Deo placentia.

Textus particula. 6.

NOLITE mirari, fratres, si odit vos mundus. Nos scimus, quòd translati sumus de morte ad vitam, quoniã diligimus fratres. QUI non diligit, manet in morte. OMnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quòd omnis homicida non habet vitam aeternam, in se manentem. In hoc cognouimus charitatem DEI, quòd ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas DEI manet in eo? Filioli mei, Non diligamus verbo, neq; lingua; sed opere, & veritate. In hoc cognoscimus, quòd ex veritate sumus, & in conspectu eius suadebimus cordibus nostris, quoniam, si reprehenderit nos cor nostrum, maior est DEUS corde nostro, & nouit omnia. Charissimi, Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habeamus ad DEUM: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea, quae sunt placita coràm eo facimus. Et hoc est mandatum eius, Ut credamus in nomine filij eius IESU CHRISTI, & diligamus inuicem, sicut dedit mandatum. Et, qui seruat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo. & in hoc scimus, quòd manet in nobis ex spiritu, quem dedit nobis.

NVNC ostendit, quòd istis gentilibus cõuersis debet esse fraterna dilectio,

lectio, quod probat ex tribus: & primò ex mortis liberatione. 2. ex vitæ æternæ consecutione. 3. ex Dei imitatione: & primò dicit sic, Illi debent habere fraternam dilectionem, qui sunt translati de morte ad vitam, propter huiusmodi dilectionem: sed, vos gentiles, propter fraternam dilectionem, estis translati de morte ad vitam: ergo debetis illam fraternam dilectionem habere. dicit ergo, Nolite mirari fratres, si odit vos mundus, idest mundana prosperitas, vel homo mundanus, quia nos Apostoli, qui sumus veritatis cognitores, & testes, scimus, inquam per certitudinem, quoniam translati sumus de morte culpæ ad vitam gratię spiritualem, propter istam causam, quoniam diligimus fratres, scilicet ex charitate, quę nos ordinatè operari facit, & ordinat. primò in Deum. 2. in proximum. deinde cum dicit, Qui non diligit, manet in morte.] ponitur 2. ratio, sumpta ex vitæ æternæ promissione, sic, Quicunq; volunt consequi vitam æternam, debent habere fraternam dilectionem: sed vos gentiles conuersi, vultis habere vitam ęternam: ergo debetis habere fraternam dilectionem; quia omnis, qui non diligit, manet in morte, scilicet spirituali ipsius animæ, nec habet vitam æternam in se manétem, idest non habet spem æternæ vitæ in se ipso, & talis est homicida, qui non diligit: si ergo vos vultis habere vitam æternam, diligatis fratres vestros. dicit ergo, Bene dico, quòd translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres, quia, qui nó diligit, manet in morte, cuius ratio est, quia omnis, qui odit fratrem suum, homicida est, quia, propter odium, & rancorem, ipsum in sua voluntate occidit: & scitis, idest scire debetis, quòd omnis homicida, siue actualis, siue mentalis, non habet vitam æternam in se manentem, idest Deum, in cuius visione consistit vita æterna, quam in se manentem habere non potest. deinde cum dicit, In hoc cognouimus.] ponitur tertia ratio, sumpta ex CHRISTI imitatione, sic, Omnis CHRISTI actio nostra est instructio: sed CHRISTVS habuit tantam dilectionem circa nos, qoòd vitam suam corporalem pro nobis exposuit: ergo nos debemus tantam dilectionem habere circa proximos nostros, vt vitam nostram corporalem pro eis, si necesse fuerit, exponamus. dicit ergo, In hoc cognoscimus charitatem, quoniam iste scilicet CHRISTVS, qui fuit Deus, & homo, pro nobis animam posuit, idest vitã corporalem, exposuit pro nobis viuificandis, iuxta illud, Ioan. x. Animã meam pono pro ouibus meis, & nos debemus pro fratribus ponere, idest vitam corporalem. vnde Aug. super Ioannem, dicit Perfecta charitas est in illo, qui paratus est pro fratribus vitam ponere. ideo & dicit, Nunquid statim ut nascitur, scilicet charitas, perfecta est? quasi dicat, imò, ut perficiatur, nascitur; quia, cum fuerit nata, supple, in corde nostro, nutritur, & cũ fuerit nutrita, per bona opera, augumentatur. & crescit: & tunc, cum fuerit augumentata, perficitur, & ad perfectioné uenit, & cũ perfecta fuerit, tunc dicit,

Adhortatio ad fraternã dilectioné, ex tribus. 1. Ex translatione de morte ad uitam.

2. Ex uitæ æternæ repromissione.

3. Ex imitatione Christi.

Dilectio proximi, per tria. 1. Vt illi subuenias.

tunc dicit. idest facit nos dicere, Cupio dissolui, & esse cũ CHRISTO. dein de cum dicit, Qui habuerit.] docet dilectionem in subueniẽdo proximo, sic, Quicunq; habere volunt dilectionem circa proximum, debent illi in necessitatibus subuenire: sed vos gentiles debetis habere dilectionem circa proximum: ergo debetis illi in necessitate subuenire. dicit ergo, Qui habuerit substantiam huius mundi, idest mundanas, & temporales diuitias, & viderit fratrem suum necessitatem habere, idest paupertatem pati, & clauserit viscera sua, idest intimos motus cordialis pietatis suæ ab eo; supple, dic mihi, Quomodo charitas Dei manet in illo?] quasi dicat, Dico tibi, quòd non habet talis charitatem Dei, scilicet veram, propter Dominum in se, scilicet ille, qui de rebus temporalibus proximo suo non vult subuenire. deinde, cum dicit, Filioli mei.] hîc docet, circa proximũ dilectionem esse habendam, de ipso, bonum, & verum testimonium perhibẽdo: & primò, quòd debet esse pura dilectio, sic, Quicunq; volunt alios diligere, dilectione bona, & meritoria, debent eos diligere, non solùm verbo, sed opere, & veritate: sed vos gentiles conuersi debetis diligere bona dilectione; ergo opere, & veritate debetis diligere. dicit ergo, Filioli mei, non solùm diligamus verbo, neq; lingua, scilicet tantùm; sed opere, & veritate; quia lingua, & verba sunt tantum signa dilectionis: sed in opere notatur subuentio, qua probatur vera dilectio. deinde cum dicit, In hoc cognoscimus.] ostendit, quomodo circa proximum debet esse veritatis locutio, sic, Ille verè potest cognoscere veritatem habere circa Deum, & proximum, qui in conspectu Dei humiliat cor suum: sed vos gentiles debetis velle cognoscere, vos habere veritatem circa Deum, & proximum: ergo debetis vos humiliare in conspectu Dei. dicit ergo, In hoc cognouimus, quoniam in veritate sumus, idest in Dei filio, qui est via, & veritas. & quòd simus in conspectu Dei, suademus cordibus nostris, idest firmiter tenemus in cordibus nostris, quòd quicquid dicimus, vel facimus, intuitu supernæ fœlicitatis, supple, facimus, & hoc, ne simus de numero eorum, de quibus dicitur Matth. 5. Attẽdite, ne iustitiam vestram faciatis coràm hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Deum patrem vestrum. Si tamen de aliquo dicto, vel facto cor vestrum, idest conscientia vestra reprehendit vos; nullus debet desperare, quoniã, si cor nostrum reprehendit nos, maior est Deus corde nostro, & omnia nouit. nam ipse solus nouit abscõdita cordium; quia omnia nuda, & aperta sunt oculis eius: & ideo, si cor nostrum, & conscientia nostra nos arguit, de non seruata dilectione, magis Deus nos arguet, & reprehendet. deinde cum dicit, Charissimi, si cor nostrũ.] hîc ostendit, quòd de offensa debet esse veniæ impetratio, sic, Quicunq; offendunt, debent habere talem fiduciam, quòd a Deo debent veniam impetrare: sed vos gentiles conuersi aliquando offenditis; ergo debetis spem habere

2. Vt uerũ, de ipso testimoniũ perhibeas.

3. Vt circa proximum uera loquacis.

Spes in Deo ueniæ, per conscientiæ puritatem.

bere

bere veniam a Deo impetrandi. dicit ergo, Charissimi, scilicet filij, si cor nostrum non reprehenderit nos, idest conscietia nostra nos non arguerit, & hoc scilicet sic, si ex malitia certa non reprehenderit nos cor nostrum, tunc fiduciam habemus ad Deum, idest, si ex certa malitia non reprehenderit nos cor nostrum, quasi dicat, si non reprehenderit nos de peccato, ex certa malitia proueniente; tunc debemus fiducialiter sperare veniam, & impetrare a Deo, & quicquid petierimus, tunc accipiemus a Deo, quia mandata eius custodiuimus, & ea, quę sunt placita, corà meo fecimus, & illud est mandatū, supple, quod custodiuimus, vt credamus in nomine filij eius IESV CHRISTI, & diligamus alterutrum, sicut dedit mādatum nobis; &, qui seruat mandatum eius, in illo manet, per dilectionem; & ipse Deus manet in eo, per gratiam: & in hoc scimus, quoniam, supple, ipse Deus manet in nobis, quoniam de spiritu suo, scilicet sancto, vel de bonitate sua dedit nobis, supple, & hoc patet, quia omnis, qui habet fidem, & charitatē, hic testatur, & apertè monstrat, spiritum sanctum in se manere: & hoc per gratiam.

CAP. IIII.



HARISSIMI, nolite omni spiritui credere; sed PRObate spiritus, si ex Deo sint: quoniā multi pseudo prophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus DEI. OMNIS spiritus, qui confitetur, IESVM CHRISTVM in carne venisse, ex DEO est: & OMnis spiritus, qui non confitetur, IESVM CHRISTVM in carne venisse, ex DEO non est; & hic est ille Antichristus: de quo audistis, quòd venit, & nunc iam in mundo est. Vos ex DEO estis, filioli, & vicistis eos; quoniam maior est, qui in vobis est, quàm, qui in mundo. Ipsi è mundo sunt: ideo è mundo loquuntur, & mundus eos audit. Nos ex DEO sumus. QVI nouit DEVM, audit nos: qui non est ex DEO, non audit nos. Ex hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris. Charissimi, diligamus nos inuicem, quia charitas est ex DEO. Et OMnis, qui diligit, ex DEO natus est, & cognoscit Textus particula. 7.

DEVM. Qui non diligit, non nouit DEVM, quoniam DEVS charitas est. In hoc apparuit charitas DEI in nobis, quòd filium suum vnigenitum misit DEVS in mundum, vt viuamus per eum. In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus DEVM, sed quòd ipse dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si sic DEVS dilexit nos, & nos debemus inuicem diligere. DEVM nemo vidit vnquam. si diligamus inuicem, DEVS in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est.

Hac in parte. 1 Hortatur ad puram Dei cognitionem. 2. Modos cognoscendi hæreticos tradit. Vt purè Deum cognoscamus non omni spiritui credendum. Quo nã modo spiritus falsos cognoscamus per tria. 1. Ex negatione incarnationis Christi.

IN hac parte Apostolus duo facit. primò hortatur illos gentiles dispersos, pro CHRISTI nomine, ad puram Dei cognitionem. 2. docet modos cognoscendi hæreticos, & dicit sic, Quicunq; volunt purè Deum cognoscere, non debent omni spiritui credere. propter pseudo prophetas, qui venturi sunt in mundum: sed vos gentiles debetis Deum purè cognoscere; ergo nõ debetis omni spiritui credere sed probare debetis spiritus, an ex Deo sint. dicit ergo, Charissimi, nolite omni spiritui credere, idest omni prophetanti credere, quia, qui citò credit, leuis est cordis: sed probate, an spiritus ipsius prophetantis ex Deo sit; cuius causam subdit, quoniam multi pseudo prophetæ, idest falsi, & mendaces, exierunt in mundum, qui exterius boni apparent, & spirituales; interius autem sunt lupi rapaces, qui propter rapacitatem, prophetant, & non propter animarum sanctitatem. deinde cum dicit, In hoc cognoscitur spiritus Dei. hîc docet, illos malignos, & fictos spiritus cognoscere, ex CHRISTI incarnationis cognitione, sic Quicunq; habent spiritum Dei in se, confitentur CHRISTVM incarnatum: sed falsi Christiani, & hæretici hoc negant; ergo in hoc potestis cognoscere malos spiritus a bonis. appellantur autem hîc spiritus homines, qui spiritualia loquuntur. Ille ergo, qui, sub specie sanctitatis, & sub velamine talium verborum, volũt alios decipere, & ad hęresim inducere, dicũtur falsi prophetæ, & falsi spiritus, & lupi. dicit ergo, In hoc cognoscitur spiritus Dei, supple, a spiritu diabolico, quia omnis spiritus, qui confitetur, Dominum IESVM CHRISTVM in carne venisse, talis spiritus idest talis homo ex Deo est, & omnis spiritus, idest omnis homo prophetans, qui soluit IESVM CHRISTVM, idest separat naturam diuinam a natura humana, quasi dicat, quòd IESVS CHRISTVS nõ fuit Deus, & Homo; hic ex Deo nõ est, idest non est veritas Dei in illo; supple, sed magis hic est Antichristus, idest CHRISTO contrarius, de quo audistis, quoniam venit, & iam in mundo est in suis mẽbris, & sequacibus, quamuis non sit in mũdo in persona sua;

vel An-

vel Antichristus in mundo est, per operationem, & suggestionem & si nó per propriam prędicationem. deinde cum dicit, Vos ex Deo filioli estis.] hic ponitur 2. ratio, sumpta ex eorum impugnatione, sic, Illi possunt cognosci habere spiritum falsitatis, & erroris, qui continuè impugnantur, & vincuntur per ipsam veritatem: sed vos gentiles, qui estis ex veritate, impugnatis, & vincitis hæreticos: ergo potestis, ex hoc cognoscere, hæreticos habere spiritum falsitatis. dicit ergo, dictum est, quòd, qui soluunt, & negant duas naturas in CHRISTO, non sunt ex Deo: sed vos, filioli, ex Deo estis, supple, per fidem, & charitatem: & ideo vicistis eum, scilicet diabolú, idest Antichristum, qui est membrum diabolicum per adhæsioné. & quoniam maior est ille, qui in vobis, est scilicet Deus, quàm sit ille, qui in mundo est, scilicet diabolus, quasi dicat, Deus, qui in vobis est, maior est ipso diabolo, qui est princeps omnium malorum huius mundi. deinde cum dicit, Ipsi de mundo.] ponitur 3. ratio, sumpta ex mundi dilectione, sic, Illi possunt cognosci habere spiritum falsitatis, qui sunt de mundo, & de diuinis non loquuntur verè: sed tantùm de humanis, quibus mundus credit: sed ita se habent hęretici, respectu fidelium, quòd fideles possunt dici habere Deum in se, quia mundus, idest mundanus homo, eis, scilicet fidelibus non credit, de Deo loquentibus, & non de humanis, quia, si de humanis loquerentur, mundus, idest homines mundani, eis crederent. ergo in hoc cognoscuntur hęretici habere spiritum erroris, quia, de humanis, & non de diuinis loquentibus, credunt. dicit ergo, quòd vos estis de Deo: sed ipsi hæretici sunt de mundo, & mundus eos audit, idest homines mundani, qui tantú n sapiunt, quæ sunt mundi, & quæ sensibus apparent. nos verò, scilicet fideles, ex Deo sumus, quia fidem eius, & charitatem habemus. ideo, qui nouit Deum, idest, qui fidelis est, audit nos, & in hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris, supple, si audimus, vel nó audimus verbum Dei; quia omnis, qui ex Deo est, audit verba Dei. deinde cú dicit, Charissimi.] ponitur 4. ratio, sumpta ex charitatis commendatione, sic, Quicunq; volunt cognosci, non habere spiritum falsitatis, debent habere ipsam charitatem, quę, præ cœteris virtutibus, est commendanda; quoniá Deus est charitas: sed vos gentiles debetis velle cognosci non habere spiritum erroris; ergo debetis habere ipsam charitatem. dicit ergo, Charissimi diligamus inuicem, scilicet verbo, & opere, quoniam charitas ex Deo est, idest a Deo procedit, & emanat: & omnis, qui diligit fratrem suú, ex Deo natus est, scilicet per gratiam specialem, & cognoscit Deum, quia diligens oportet, quòd cognoscat dilectum, quem diligit. ideo, qui non diligit, nó nouit Deum, quoniam Deus charitas, idest amor est. ideo, qui amat Deú, habet illum. deinde cum dicit, In hoc apparuit charitas.] ponitur. 5. ratio, sumpta ex beneficiorum recognitione, sic, Illi, qui volunt cognoscere, spi-

2. Ex impugnatione illorum.

3. Ex dilectione, qua mundú prosequuntur.

Bonos, qui habent, spiritus, cognoscas per tria.
1. Ex charitate.

2. Ex beneficiorum recognitione

ritum bonum, scilicet Dei, in se habere, debent recognoscere diuina beneficia, meditando, quantam dilectionē Deus pater circa nos habuerit, mittendo filium suum vnigenitum propitiatorem pro peccatis nostris: sed vos gentiles conuersi debetis, & vultis cognoscere spiritum bonū in vobis habere; ergo debetis recognoscere diuina beneficia. dicit ergo, In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quasi dicat in illo maximè manifestata est charitas Dei in nobis: & dilectio circa nos, quoniam filium suum vnigenitum misit in mundum, non, vbi non erat, sed qualiter non erat, & hoc scilicet vt viuamus per eum, restituti de morte, supple ad vitam: & in hoc fuit maxima charitas, quia istud beneficium contulit nobis, non quasi nos dilexerimus eum, sed quoniam ipse prior dilexit nos: & misit filium propitiatorem pro peccatis nostris, idest redemptorem, & satisfactorem: vel redemptionem, & satisfactionem pro peccatis nostris, destruendo, scilicet peccatum: & quia nefas est, quòd ipse nos diligat, & nos ad inuicem dilectionē non habeamus. ideo subdit, Sed sic Deus dilexit nos, vt nos alterutrum diligamus. deinde cum dicit, Deum nemo.] ponitur 6. ratio, sumpta ex intellectus captiuatione, sic, Quicunq; volunt cognoscere, spiritum Dei in se habere, debent illa diligere, & amare, quæ cerni oculis corporis nō possunt, captiuando intellectum suum in obsequium CHRISTI, vt Apostolus dicit; Sed Deum, & ipsa spiritualia nemo vnquam vidit: ergo vos gentiles, vt talia maneant in vobis, scilicet spiritualia, & in vobis spiritum Dei habere possitis, debetis captiuare intellectum vestrum in obsequiū CHRISTI, vt possitis illa videre, & in vobis habere. dicit ergo Deum nemo vidit vnquam; tamen dico, quòd, licet nullus viderit eum; tamen, si diligamus nos inuicem; Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est, scilicet charitas viæ: & cū Deus sit charitas; qui habet ipsam, habet & Deū in se, & qui habet Deum in se, cognoscit eum, cognitione viæ, scilicet per fidem captiuando intellectum in obsequium fidei.

3. Ex intellectus captiuatione.

Textus particula. 8.

EX hoc cognoscimus, quòd in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de spiritu suo dedit nobis: & nos vidimus, & testificamur, quòd Pater misit filium suum saluatorem mundi. QUIS quis confessus fuerit, quòd IESUS est filius DEI, DEUS in eo manet, & ipse in DEO, & nos cognouimus & credidimus charitatem, quam habet DEUS in nobis. DEUS charitas est, & qui manet in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo. IN hoc perfecta est charitas DEI nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicij, quòd, sicut ille est, & nos sumus in hoc

mundo,

mundo, Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. qui autē timet, non est perfectus in charitate. Nos diligimus DEVM, quoniam ipse prior dilexit nos. Si quis dixerit, Diligo DEVM, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem vidit; DEVM, quem non vidit, Quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus ab eo, vt, qui diligit DEVM, diligat & fratrem suum.

NVNC hortatur illos gentiles ad Dei cognitionem, & sermonis illius obseruationem: & nota, quòd quatuor sunt illa, per quæ possumus cognoscere habere Dei dilectionem, & gratiam: & primum est spiritus sancti missio. 2. Trinitatis confessio. 3. timoris seruilis expulsio. 4. fraterna compassio: & formatur sic prima ratio, Illi possunt cognoscere habere Dei gratiam, quibus spiritus sanctus est missus ad voluntatis confirmationem: & ipse filius ad intellectus illuminationem: sed talis missio facta est nobis Apostolis, & vobis gentilibus, qui creditis Dei filium: ergo potestis cognoscere vos habere Dei gratiam, & dilectionē. dicit ergo, in hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus per amorem, & dilectionem, & ille in nobis per cognitionem, quoniam de spiritu suo dedit nobis, & nos vidimus, & testificamur, quoniam Pater misit filium suum propitiatorem, & saluatorem mundi. quicunq; ergo confessus fuerit, quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, per fidem, & ipse in Deo, per dilectionem, & nos, supple, cognoscimus, & credimus charitatem, quam habet in nobis Deus, & amorē. deinde cum dicit, Deus charitas est.] hîc ponitur. 2. ratio, sumpta ex Trinitatis cōfessione, sic, Illi possunt cognoscere esse in se charitate, in quibus Deus manet, & in quibus inhabitat, quia Deus, idest tota Trinitas est charitas: sed vos gentiles estis tales, quòd Deus habitat in vobis; ergo potestis cognoscere, vos habere charitatem, & gratiam Dei. dicit ergo, Deus charitas est, &, qui manet in charitate, in Deo manet, per amorem, & Deus in eo, per gratię infusionem, & in hoc est perfecta charitas in nobis, vt fiduciam habeamus in die iudicij, idest vt cum fiducia remunerationis appareamus in die iudicij. nam, vt Aug. dicit, Ille cum diem expectat cum fiducia, cuius conscientia non trepidat in charitate, quia, sicut ille est, scilicet in cœlo diligens amicos, & inimicos, scilicet Deus, qui solem suum facit oriri super bonos, & malos: sic & nos, qui sumus in mundo, debemus & inimicos diligere, & benefacere eis, qui nos odiunt, vel nos oderunt. deinde cū dicit, Timor non est in charitate.] ponitur 3. ratio, sumpta ex timoris ser

Exhort. ad cognitionē Dei, & mandatorū obseruantiā.

Quatuor demonstrāt habere nos dilectionē Dei, & gratiam.

1. Spiritus sancti missio.

2. Trinitatis confessio.

3. Seruilis timoris expulsio.

ulis expulsione, sic, Illi possunt cognoscere, se habere charitatem, qui nō timent, scilicet ex remorsu conscientiæ, quia perfecta charitas, supple, vbi habitat foras mittit timorem: sed vos gentiles non timetis, vel non debetis timere, quia non estis serui sub lege, sed liberi, sub gratia cōstituti: quia sub lege amoris, & charitatis. dicit ergo Timor, scilicet seruilis, non est in charitate, quia perfecta charitas foras eijcit timorem, cuius ratio est, quoniam timor, scilicet seruilis, habet pœnam, scilicet sibi annexam, quia operatur timore pœnæ. Charitas autem, & amor, habet delectationem, quia operatur propter bonum & propter virtutem, & voluntariè, adeo quòd, etiā si nulla esset pœna malorum, adhuc sic bonum operaretur, quia perfecta charitas foras timorem mittit: sed bene timor filialis stat cum charitate, qui est, quando quis, solùm propter dilectionem, & Dei reuerentiam, se omnibus subijcit, non propter pœnam aliquam: sed propter dilectionē ipsius boni tantum. deinde cum dicit, Nos ergo diligamus.] ponitur. 4. ratio, sumpta ex fraterna dilectione, sic, Illi possunt cognoscere, se habere dilectionem Dei, qui diligunt fratres, & proximos suos; quia, qui non diligit fratrem suum, quem videt; quomodo potest diligere Deum, quem nō videt? sed vos gentiles debetis dilectionem Dei in vobis habere: ergo debetis fratres vestros diligere. dicit ergo, Dictum est, quòd, qui timet non est perfectus in charitate: nos autem diligamus sine timore seruili, scilicet ipsū Deum, quoniam ipse prior dilexit nos, & subdit cautelam ad cognoscendum, quòd Deum diligamus, quoniam, si quis dixerit, Quia diligo Deū, & fratrem suum odit, mendax est. nam, qui non diligit fratrem suū, quem videt: Deum, quem non videt, quomodo diliget? quasi dicat non potest. Et ad probandum, quòd nullus audeat dicere, Diligo Deum, si odit fratrem suum, addit, Quoniam hoc mandatum habemus a Deo, vt qui diligit Dominum, diligat & fratrem suum: & per consequens, qui non diligit fratrem suum, nec Deum suum diligit verè.

4. Fraterna dilectio.

CAP. V.

Textus particula. 9.



MNIS, qui credit, quòd IESVS est CHRISTVS, ex DEO natus est: Et omnis, qui diligit eum, qui genuit: diligit & eum, qui natus est ex eo. In hoc cognoscimus, quòd diligimus natos DEI, cum DEVM diligimus, & mandata eius facimus. Hæc est enim charitas DEI, vt mandata eius custodiamus; & mandata eius grauia non sunt.

non sunt. Quoniam, Omne, quod natum est ex DEO, vincit mundum; Et hæc est victoria, quæ vincit mundũ, fides nostra. Quis est, Qui vincit mundum, nisi qui credit, quòd IESVS est filius DEI? hic est, qui venit per aquam, & sanguinem IESVS CHRISTVS. non in aqua solùm: sed in aqua, & sanguine. Et spiritus est, qui testificatur, quoniam spiritus est veritas. Quoniam, Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt. ET tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis: & hi tres vnum sunt. Si testimonium hominum accipimus; testimonium DEI maius est. quoniam hoc est testimonium DEI, quo testificatus est de suo filio. Qui credit in filiũ DEI, habet testimonium in se. Qui non credit DEO, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est DEVS de filio suo. Et hoc est testimonium, Quòd vitam æternam dedit nobis DEVS: & hæc vita in filio eius est. Qui habet filium DEI, habet vitam, qui non habet filium DEI, vitam non habet.

IN hac parte ponitur primò Trinitatis cognitio. 2. dictæ cognitionis fructus consecutio. 3. Mundi impugnatio, & abiectio. 4. fidei integratio. 5. testimonij receptio, & approbatio. & primò dicit, sic, Quicunq; volunt ipsam Trinitatem cognoscere, debent habere mentem purgatam, & fidem illuminantem, & charitatem inflammantem: sed vos gentiles vultis cognoscere ipsam Trinitatem, ac debetis; quia, in illius cognitione consistit nostra beatitudo, iuxta illud, Hęc est vita, vt cognoscant te solum verum Deum. ergo debetis habere mentem purgatam. dicit ergo, quòd omnis, qui credit, quoniam IESVS est CHRISTVS, idest Messias, in lege promissus, sit Deus, & homo, hic ex Deo natus est, eius membrum factus est per istam fidem, qua credit, IESVM esse CHRISTVM: & omnis, qui diligit eum, qui genuit, scilicet, Deum patrem, diligit eum, scilicet, filium, qui ex eo natus est, scilicet patre, & subdit, quomodo tales, scilicet patrem, & filium, debemus cognoscere, dicens, Et in hoc cognoscimus, quoniam diligimus natos Dei, idest filios Dei, cum Deum diligamus, & mandata eius custodiamus, & faciamus. nã, vt ipsa veritas testatur, Ioan. 14.

Hic quinque habentur.

1. Ratio cognoscendi Trinitatẽ.

2. Fructus cognitionis.

Ioann.14. Qui mādata mea custodit, hic est, qui diligit me: nec ab obseruantia suorum mandatorum possumus nos excusare, quia mandata eius grauia non sunt, scilicet ipsis amantibus, imò ipsis leuia sunt. Iugum enim illius suaue est, quia in paucis impletur, scilicet in dilectione ordinata. dein de cum dicit, Quoniam omne.] ponitur nunc mundi impugnatio, & abiectio, sic, Quicunq; volunt ipsam Trinitatem cognoscere, debent mundū vincere, & ipsi Deo, vel CHRISTO, per fidem, incorporari: sed vos gentiles vultis ipsam Trinitatem cognoscere: ergo debetis CHRISTO incorporari, per fidem formatam charitate. dicit ergo, Benè dico, quòd Dei mandata grauia non sunt: quia omne, quod natum est ex Deo, scilicet per obseruationem mandatorum ipsius, vincit mundum: & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. nam sancti, per fidem, idest merito fidei vicerunt regna. nam, quis est, qui vincit mundum, nisi qui verè credit, corde, ore, & opere, quoniam IESVS CHRISTVS, idest Messias, noster in lege promissus, est filius Dei patris? hęc fides est illa, quæ mundum vincit, scilicet illa, quæ verè credit, Dei filium esse verum hominem, & verum Deum, de qua dicitur Ioan.15. dicit Martha, Ego credidi, quoniam tu es CHRISTVS filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti, per assumptionem humanitatis. vnde subdit, Quòd de CHRISTO nunc est taliter fides in mundo, dicens, Hic est, supple, CHRISTVS filius Dei, qui venit, per aquam regenerationis, & sanguinem redemptionis, IESVS CHRISTVS, non in aqua solùm; sed in aqua, & in sanguine, idest ipse venit cum aqua baptismali, nos regenerante, quia, tactu suæ sanctissimæ carnis, ipsi aquæ vim regeneratiuam contulit, & in sanguine venit, nos redimente; quia, sine sanguinis effusione, non fit remissio peccatorū: & infallibiliter debemus credere: quia Spiritus, scilicet Sanctus est ille, qui testificatur, quoniam CHRISTVS est veritas. nam, in specie columbæ, Spiritus sanctus descendit super ipsum, Matth.3. tunc testimonium perhibuit, CHRISTVM vtramq; habere naturam, Humanam scilicet, & diuinam in vno supposito. deinde cum dicit, Tres sunt.] hîc ponitur fidei integritas, sic, Quicunq; ipsam Trinitatem volunt cognoscere, debent habere fidei integritatem, credendo firmiter, tres personas esse in diuinitate vna: esse duas Naturas in vna persona filij: sed vos gentiles debetis velle cognoscere Trinitatem ipsam; ergo debetis habere fidei integritatem, credendo firmiter tres personas. dicit ergo, Bene dico, quòd Spiritus Sanctus testimonium dedit, quoniam CHRISTVS est veritas, quoniam tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, idest de ipsa diuinitate, in Cœlo existente, Pater, verbum, & spiritus sanctus, quò ad numerum personarum: & hi tres vnum sunt, quò ad essentiæ vnitatem: & tres sunt, qui testimonium dant in terra, idest de CHRISTI humanitate, & in terris existente, ante mortem, vel tres testimonium dant in terra, idest de Christi

3. Mundi abiectio, & impugnatio.

Heb. 11.

4. Fidei integritas.

De Trinitate.

Christi humanitate, ex terra formata, quò ad natiuitatem temporalē: &, qui sunt illi, qui dant tale testimonium, quòd fuit verus homo isti, scilicet spiritus, idest anima rationalis, quam emisit in cruce: aqua, & sanguis, quę fluxerunt de eius latere, cum vnus militum lancea latus eius aperuit: & hi tres sunt vnum, propter vnam personalitatem, quia natura diuina, & natura humana subsistunt in vna persona, & sunt vna persona, quia humanitas non habebat propriam personalitatem: sed substinebat in supposito diuino: vel illa tria sunt vnum propter vnius affectus vnitatem, quia in sacramento baptismi, spiritus sanctus est viuificans: aqua est abluens, & sanguis Christi est redimens. deinde cum dicit, Si testimonium hominum accipimus.] hîc ponitur testium probatio, sic, Quicunq; volunt ipsam Trinitatem cognoscere, debent credere testibus, perhibentibus testimonium de ipso Dei filio: sed vos gentiles cōuersi debetis velle cognoscere ipsam Trinitatem; ergo debetis credere testibus, hoc probantibus. dicit ergo, Si testimonium hominum, idest prophetarum accipimus, supple, testimoniū dicentibus de Christo; tamen testimoniū Dei patris maius est: supple, melius est accipiēdum. nam hoc est testimonium Dei, scilicet patris, quod maius est, quoniam testificatus est de filio suo Christo, dicens Matth. 17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. qui ergo credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se, & ē conuerso, qui non credit in filium, mendacem facit patrem, quoniam non credit in id, quod testificatus est ipse pater, dicens de filio suo, Et hoc est etiam testimonium, quòd nos, scilicet Apostoli, perhibemus de ipso Christo, quoniā æternam vitam dedit nobis, idest ostendit nobis illam, in transfiguratione, & hæc vita, quam ostendit nobis, & in filio eius, idest in visione filij eius, quò ad diuinitatem principaliter, quia hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. ideo, qui habet filium, per fidem veram, habet vitam, &, qui nō habet filium Dei Iesum Christum, per fidem, & imitationem, non habet vitam in se.

5. Testium probatio.

HAEC scripsi vobis, vt sciatis, quòd vitam habetis æternam, qui creditis in nomine filij DEI: & hæc est fiducia, quam habemus ad eum, Quòd quicquid petierimus, secundùm voluntatem eius, audit nos. Et, si scimus, quòd audit nos, quicquid petierimus, scimus, quòd habemus petitiones, quas postulauimus ab eo. SI QVIS scit, fratrem suum peccare, peccatum non ad mortem, petet, & Dabit ei vitam, peccanti non ad mortem. EST PECcatum ad mortē: non pro illo, dico, vt roges. OMNIS

Textus particula. x.

iniquitas peccatum est, & est peccatum ad mortem. SCImus, quòd omnis, qui natus est ex DEO, non peccat; sed GEneratio DEI conseruat eum, & malignus nõ tangit eũ. Scimus, quòd ex DEO sumus, & Mũdus totus in maligno positus est. Et scimus, quòd filius DEI venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verũ DEVM, & simus in vero filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna, FILIOLI custodite vos a simulachris. Amen.

Trinitatis cognitionis effectus Cognitionis eius bona. v.

I. Vitę ęternæ possessio.

NVNC ponitur effectus cognitionis ipsius Trinitatis: & quomodo ex tali cognitione quinq; bona consequimur, & primum est vitæ æternę consecutio. 2. Petitionis impetratio. 3. Peccatorum remissio. 4. Peccati in spiritum sanctum cognitio. 5. spiritualis regeneratio. de primo, sic dicit, ponens talem rationem, In illius cognitione debemus fortiter insistere, per quam consequimur vitæ æternę possessionem: sed donum vitę æternæ consecuturi estis per cognitionẽ Trinitatis; ergo in illa debetis insistere. dicit ergo, Dictum est, quòd, qui habet filium, habet vitam æternam. Hæc igitur scribo vobis, vt sciatis, quoniam vitam æternam habetis, scilicet in spe: nunc, & hoc quia creditis in nomine filij Dei. deinde cum dicit, Et hæc est fiducia.] hîc ponitur nostræ petitionis impetratio, sic, In illius cognitione debetis perseuerare, per quam impetratis omnes petitiones vestras; sed tale bonum consequi potestis per cognitionem Trinitatis: ergo in illa debetis permanere. dicit ergo, Et hæc fiducia, quam habemus ad Deum, quia Quæcunq; petierimus, secundùm voluntatem eius, audiet nos, idest exaudiet nos. & in hoc scimus, quia audit nos quicquid petierimus, idest exaudiet petitiones nostras, quoniam habemus postulationes, quas postulamus ab eo: & hoc si tamen secundùm voluntatem eius, idest si. conformã suæ voluntati petamus. deinde cum dicit, Qui scit, fratrem suum.] hic ponitur peccatorum absolutio, sic, Illius fides, & cognitio in mẽte seruanda est, per quam homo consequitur suorum peccatorum remissionẽ, & absolutionem: sed tale bonum habemus & consequimur per fidem, & cognitionem sanctæ Trinitatis: ergo in ea cognitione, & fide est permanẽdum. dicit ergo, Qui fratrem suum scit peccare, peccatum non ad mortẽ, petat pro eo in oratione, & dabitur ei vita, idest remittetur ei. peccanti verò dico non ad mortem. nota, quòd peccatum non ad mortem tripliciter potest accipi: primò pro peccato veniali, sicut qui peccat cogitatione, obliuione, ignorantia. quòd, sicut difficulter vitatur, ita faciliter remittitur. talis postulet a Deo in oratione, & dabitur sibi vita, idest remittetur ei. 2. sumi potest pro peccato non continuato vsq; ad mortem, vel vsq; ad finem vitæ,

2. Petitionis impetratio.

3 Peccatorum remissio.

Peccatum nõ ad mortem, tripliciter.

nem vitæ, quia pro tali frustra oratur, vt dicit glossa, Quòd, qui in hac vita non corrigitur, frustra ei, post mortem, venia imprecatur. 3. sumitur pro peccato non criminali, idest pro omni peccato, quod non est mortale, & a Deo non separans, & pro tali postulet quis in oratione, scilicet Dominica, & remittetur ei, dando ei vitam spiritualem. deinde cum dicit, Est peccatum ad mortem.] ponitur peccati in Spiritum Sanctũ cognitio, sic, Illius cognitio est multum in memoria retinenda, per quam potest quis cognoscere peccatum ad mortem, quod est peccatum in spiritum sanctum: sed talis est cognitio Trinitatis; ergo in illa est manendum. dicit ergo, Bene dico, quòd, si quis petat in oratione pro peccato non ad mortem, idest pro peccato non continuato, vsq; in finem, dabitur ei vita, idest remittetur ei, & dabitur ei venia. Si quis autem peccauerit peccato ad mortem, quia talis desperat de Dei misericordia, non, pro illo, dico, quòd roget quis; quia talis abijcit a se orationes. & omnia, quæ ipsum retrahere possunt a malo, & continuè operatur malum, & deuiat ab æquitate diuinæ iustitiæ. ideo subdit omnis iniquitas peccatum est, idest omne, quod ducit extra rectam rationẽ, est defectuosum, & inutile: non tamen omnia peccata sunt paria, quia supra omnia peccata est peccatum in spiritum sanctum. ideo dicit, Et est peccatum ad mortem, idest inducens mortem sine spe veniæ, & tale peccatum est iniquitas perseuerandi in malo vsq; ad mortem, quia talis iniquitas est peccatum, ad mortem æternam ducens, & est species peccati in Spiritum Sanctum, quæ dicitur finalis impænitentia, quę dicitur irremissibilis negatiuè, quia talis iniquitas nunquam dimittitur. aliæ autem species peccati dicuntur irremissibiles priuatiue; quia in se non habent quò remitti debeant. ideo ex pietate tantùm dimittũtur. deinde cum dicit, Scimus, quòd omnis.] hic vltimò ponitur spiritualis regeneratio, sic, In illius cognitione est permanendum, per quam sumus spiritualiter regenerati, de potestate diaboli liberati, & diuinam misericordiam consecuti: sed talia dona consecuti sumus per fidem sanctissimę Trinitatis: ergo permanere debemus firmiter in eius cognitione. dicit ergo, scimus, quòd omnis, qui natus est ex Deo, per fidem viuam, quæ per dilectionem operatur, non peccat, vt sic permanens, quia Ioan. iii. dicitur, Quod natum est ex carne, caro est, idest corruptibile, & ad malum procliue: &, quod natum est ex spiritu, spiritus est, idest spirituale, & ad bonum procliue: & verè, quod natum est ex spiritu, scilicet sancto, ipsum dirigente, spiritus est, idest spiritualis est, quia generatio Dei, scilicet spiritualis, conseruat eum, & malignus non tangit eum, idest post spiritualem regenerationem, idest diabolus, qui malignus dicitur spiritus, in eum potestatem non habet; quia, per gratiam baptismalem, ad nichilum deductus est malignus. Et ex hoc scimus, quoniam ex Deo sumus, supple, per regenerationem spiritualem: & mundus totus in

4. Peccati in spiritum sanctum cognitio.

5. Spiritualis regeneratio.

Mundus in maligno positus est, quomodo intelligatur.

maligno positus est, ideſt homo ipſe, qui poteſt minor mundus appellari: nam ante baptiſmum poſitus eſt in maligno, ideſt ſub dominio, & poteſtate diaboli: quia omnes nos naſcimur naturâ filij Iræ: verè iſte mundus materialis eſt poſitus in maligno, quia allicit, & inducit ad malignitates, ſuperbiæ, luxuriæ, & auaritiæ: ſed nos, ſcilicet Apoſtoli, vel nos viri ſpirituales, ſcimus, per fidem, quoniam filius Dei venit in carne, & dedit nobis, ideſt aperuit intellectum, vt cognoſcamus Deum verum, amando ſpiritualia, & ſpernẽdo temporalia, ac etiam dedit nobis, vt ſimus in filio eius vero, ideſt efficiamur membra filij eius, ſcilicet per fidem, atq; ſacramenta. ſimus, inquam, in vero filio eius. hic ſcilicet filius eſt verus Deus, & vita æterna, quã videre, & guſtare non poſſumus, niſi cuſtodiamus nos a ſimulachris, ideſt ab idololatrijs, & cultu idolorum: vel ab auaritia, quæ eſt ſimulachrorum ſeruitus. ideo adiungit, Filioli, quos tenerrimè diligo, cuſtodite vos a ſimulachris, ſupple, hæreticorum, gentilium, malorum Chriſtianorum, & pſeudo prædicantium, ne, per eorum ſeductiones, vel mala opera, remoueamini a vera cognitione, & amore, ac dilectione, quæ eſt Dei, ideſt a Deo imperata, vel Deo placens, vel gratos nos Deo reddens, vel eſt ad Deum ducens, vel eſt propter Deum, vel in Deo fundata. Amen.

FINIS.

SECVNDAE EPISTOLAE Beati Ioannis Apostoli

ARGVMENTVM.

VSQVE adeo ad sanctam fœminam scribit, vt eandem dominam non dubitet appellare. eiusdem filijs testimonium, quòd ambulet in veritate, perhibet.

EPISTOLAE. CAP. I.

SENIOR, Electæ dominæ, & natis eius, quos ego diligo in veritate, & non ego solus, sed & omnes, qui cognouerunt veritatem, propter veritatem, quæ permanet in vobis, & vobiscum erit in æternum. Sit vobiscum gratia, misericordia, pax a DEO patre, & a CHRISTO IESV filio patris in veritate, & charitate. Textus particula. 1.

EXPOSITIO.

SENIOR, electæ Dominæ.] scribit Beatus Ioannes hanc epistolam, cuidam mulieri Babiloniæ, quæ, proprio nomine, vocabatur Electa, monens ipsam, & filios suos, ne, propter hæreticos, remoueantur, a fidei veritate. & hic est finis huius epistolę, quæ habet quinque partes. in prima ponitur salutatio, ibi, Senior electæ. 2. ostendit se gaudere de eorum profectu, ibi, Gauisus sum. 3. monet eos, vt sint fortes contra hæreticorum versutias, ibi, Et nunc oro. 4. monet, vt non solùm resistant hæreticis, vel cōsentiant, imò vt in nullo communicent eis, ibi, Si quis venit ad vos. 5. dicit, quòd plura scripsisset, nisi citò ad eos speraret venire, ibi, Ecce prædixi. dicit ergo primò, Senior.] scilicet ego Ioannes. senior ætate, moribus, sapientia, atq; fide antiquior erat illis. ego, inquam senior, cui credendū est, Scribo Electę.] nomen proprium illius matronę fidelis, cui scribit Electę Dominæ, & natis eius, idest filijs eius, scilicet natura, & fide filij sui erant, scilicet ipsius Electæ, quos ego Ioannes diligo in veritate.] idest in Domino, qui est veritas, vel in veritate, idest ad veritatem consequendam, idest vitam æternam, vbi est plena, & plana veritas sine errore, vel ambiguitate: nunc ostendit generalem affectum omnium ad eos, cum dicit, Et non ego

Electa monetur, cum filijs, ne hęreticorum prauitate inficiātur. Epist. huius partes. v.

1. Salutatio

Affectus omnium bonorum in eos.

solus vos diligo: sed & omnes vos diligunt, qui cognouerunt veritatem, idest CHRISTVM per fidem, in qua vos statis firmi, & radicati: nunc autē dicit, Vnde est, quòd talem affectum, & dilectionem habent ad illos propter hoc, scilicet veritatem, idest fidei, quæ permanet in vobis, quibus scribo, quę nos trahunt ad amorem, vel propter veritatem, quę permanet in nobis, qui vobis scribimus, idest perfectè, & perseueranter, & immobiliter manet in nobis veritas fidei euangelicę, & vobiscum erit in æternū illa firmitas fidei, idest vsq; in finem vitę vestræ, vel in ęternum, idest in æternitatem Dei nostri, nos conducens. in nobis, inquam est, & dicitur permanere veritas, ornando vos virtutibus, iustificando a peccatorum maculis: sed nobiscum dicitur, cooperando in agendis virtutum actibus. nunc declarat, quid, eis scribendo, optat, cùm dicit, Sit vobiscum gratia.] idest peccatorum remissio perseueret, & maneat in vobis, & quædam diuinorū participatio misericordia sit in vobis, scilicet si, post baptismum, & receptā fidem, in aliquod delictum lapsi estis. pax sit in vobis, ne amplius Deum, aut fratres offendatis, vel gratia sit in vobis, vt, quid sit agendum, plenius cognoscatis: misericordia, vt proficiatis: pax, vt hereticis fortiter resistatis; vel gratia sit vobis, idest gratiarum actio, quò ad Deum: misericordia, idest exhibitio operum misericordiæ, quò ad proximum: pax, idest remotio a malis desiderijs, quò ad nos. Et hoc totum sit a Deo patre, & a CHRISTO IESV filio patris in veritate, quia coæternus, & consubstantialis est patri verus, & naturalis filius, non adoptiuus per gratiam, sed per Naturam: ideo est filius patris in veritate, ac etiam charitate, quia ipse est ille, quem verissimè, & firmissimè diligit Deus pater, tanquàm vnigenitum sibi.

Quid Apostolus optet eis.

Textus particula 2.

GAVISVS sum valde, quòd inueni de filiis tuis ambulantes in veritate, sicut mandatum accepimus a patre.

2. Pars epistolæ, gaudiū de profectu eorū.

NVNC ostendit gaudium habere de eorum profectu, cum dicit, Gauisus sum valde, quoniam inueni, scilicet solidè de vobis inquirens, qualiter proficiatis, de filijs tuis inueni, quasi dicat de te, & de filijs tuis hoc inueni, quòd sitis ambulantes in veritate, idest in luce fidei, & bonæ operationis de die in diem proficientes: & hoc faciunt ita perfectè, & plenè, sicuti mandatum accepimus, scilicet per filium suum Deum nostrum.

Textus particula. 3.

ET nunc rogo te Domina, non tanquam mandatum nouum scribens tibi, sed, quod habuimus ab initio, vt diligamus inuicem. Et hæc est charitas, vt ambulemus secundùm mandata eius. Hoc est enim mandatum, Ut, quemadmodum audistis ab initio, in eo ambulemus, quoniam MULTI SEductores exie

runt in

runt in mundũ, qui nõ confitẽtur, IESVM CHRISTVM venisse in carne. hic est seductor, et Antichristus. VIDETE, vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis: sed, vt mercedem plenam accipiatis. OMnis, qui præcedit, & non permanet in doctrina CHRISTI, DEVM non habet: QVI permanet in doctrina, hic & patrem, & filium habet.

NVNC hortatur, animando illos contra hæreticos, & primò, vt in veritate firmentur. 2. vt insistant firmitati. 3. docet modum resistendi. dicit ergo primo & nunc, quia certior factus de vestro profecto, securè possum rogare, vt persistatis in recepta fidei veritate. vnde rogo te, Domina Electa scilicet, & debes faciliter retinere, quod rogo, quia non mitto mandatum, vt hæretici faciunt, qui, noua inducentes, fraternæ charitatis vincula dirumpũt. ideo dicit, Non tanquam mandatum nouum sum scribens tibi, vt hęretici, & diuisionem quærentes, faciunt: sed scribo vobis, quod iam habuimus, scilicet ab initio a Deo, scilicet fidei euangelicæ: & hoc est illud mandatum, Vt diligamus alterutrum, & quia est mandatum antiquum, debet illibatè seruari. deinde ostendit, quoniam patet, si diligamus, & in fide permaneamus, quòd mandata Dei seruamus. vnde dicit, Et hæc charitas in hoc cognoscitur, si habeamus charitatem, vt ambulemus secundùm mandata eius, quæ data sunt de charitate, quasi, vt dixi, diligatis alterutrũ, quoniam hoc est mandatum, vt, Quemadmodum audistis ab initio prædicationis fidei Euangelicę, esse ambulãdum, ita in eo ambuletis, vel sic, quasi ego scribo vobis, non tanquam mandatum nouum, & hoc est, vt diligatis alterutrum, vel continua sic literam, quia dictum est ambulemus secundùm mandata, hoc est enim mandatum, non nouum, nec modò primũ, vel primò datum, sed datum, vt, id est ad hoc, vt finaliter ambuletis in eo, quemamdmodũ audistis ab initio. Quoniam multi.] nunc ostendit, quòd debent insistere firmitati, propter multitudinem malorũ: ne amittant bona, quæ iam fecerunt, &, vt plenam mercedem recipiãt. dicit ergo primò, Quoniam multi, quasi dicat debetis perseuerare, & esse firmi in fide, quoniam multi seductores, id est seorsum a vera fidei via ductores, exierunt in mundum: sed vnde exierunt? dico a cõsortio nostro: seductores dico, qui non confitentur, nec vita, nec doctrina IESVM CHRISTVM, magistrũ, & normam vitæ, & doctrinæ. non confitentur, inquam, venisse in carne, vt Manichei, qui negant, CHRISTVM veram habuisse carnem, vel, vt Iudæi, qui negant, CHRISTVM iam venisse, vt recipiant Antichristum. Hic autẽ, quicunq; sit ille, qui negat, CHRISTVM venisse, est seductor, & Antichristus, ac etiam illi, qui ei consentiunt, sunt Antichristi, per conformitatem,

3. Pars, ut consistant aduersus hæreticos per tria.

1. Vt in ueritate firmentur.

2. Vt firmitati insistãt

non in persona. ideo debetis insistere firmitati. vnde dicit, Videte.] idest solicitè, & diligēter inspicite vosmetipsos, & quare? ne perdatis, quæ operati estis, quia, qui in vno offendit, multa bona iam facta perdit. & verè est insistendum firmitati, & hoc non propter commodum, scilicet, ne perdatis præterita bona, sed etiā, vt mercedem plenam habeatis, scilicet gaudij, & letitiæ sempiternæ, atque perfectæ, quia ibi erit, & est in illa cœlesti patria, vbi est possessio omnium bonorum cum remotione omnium malorum: vel, quia Deum plenum, idest totum sed non totaliter, cum iucunditate, capient. & verè est resistendum hæreticis, manendo in doctrina veræ fidei CHRISTI; quia omnis, qui procedit, scilicet sua opinione, & præsumtione, non alieno sensui: sed sibi tantum, & suæ sapientiæ innitens, &, qui scilicet non permanet in doctrina CHRISTI, scilicet aliter sapiendo, & agendo, quàm docet christiana doctrina, talis Deum non habet, scilicet, per fidem, & inhabitantem gratiā Dei, in se: sed, qui permanet in doctrina veritatis, idest IESV CHRISTI, qui est ipsa veritas, hîc, & patrem, & filiū habet, qui vnus sine altero, vt sic, cognosci non potest, neq; haberi.

3. Vt maneāt in doctrina ueræ fidei.

Textus particula. 4.

SI quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec AVE ei. dixeritis. QVI enim dicit illi AVE, communicat operibus eius malignis.

4. Pars epistolæ principalis, admonitio, ne cōmunicent hæreticis.

Deinde cum dicit, Si quis venit.] nunc monet eos, vt non solùm resistant hæreticis, sed nō consentiant, imò nec communicent eis. vnde dicit, Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, & non solùm nolite talem recipere, sed nec Aue ei dixeritis, quia, sic ei dicere, videtur esse quidam consensus erroris, quia tales sunt magis vitandi, quàm salutandi, & maximè, facta prima, & secunda correctione, & quando sunt ab Ecclesia præcisi, ab istis est simpliciter abstinendū, propter præceptum Ecclesię: notorijs verò peccatoribus non debemus communicare, propter scandalum pupillorum: sed hæretici sunt totaliter relinquendi, propter periculū subuersionis: & ideo, qui dixerit hæretico Aue, communicat operibus illius malignis, quia hæc vox Aue olim fuit instituta, ad significandum, quòd eorum opera, quibus dicimus Aue, nobis placent, & sic dicendo illi Aue, applaudimus operibus eius, cui dicimus Aue.

Textus particula. 5.

ECCE PRAEDIXI vobis, vt in die Domini non confundamini. plura habens vobis scribere, nolui per cartam, & atramentum. spero enim, me futurum apud vos, & ore ad os loqui, vt gaudium vestrum plenum sit. Salutant te filij sororis tuæ Electæ. gratia tecum. Amen.

Nunc pa-

Nunc patefacit causam, quare scripserit eis, dicens, Ecce prædixi vobis, vt in die Domini non cõfundamini. Id est in diem iudicij vniuersalis, qui dicitur dies Domini, quia in eo Dominus omnium apparebit manifestè in maiestate, non in humilitate, vt in primo aduentu, & tunc, vt Dominus, sententiam secundùm merita, a qua appellare non licebit, proferet. ideo, dum nunc tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei: sed modò claudit epistolam, dicens, Plura tamen habens vobis scribere, scilicet de communione charitatis, vel de alijs documentis; nolui, scilicet de huiusmodi nunc scribere per cartam, & atramentum, illa scribere; & hoc quia spero, me futurum ad vos, & ore ad os loqui, quia plus viua vox magistri, quàm scriptura docet, & quare hoc? vt gaudiũ vestrum plenum sit, & hoc erit, quando plenam mercedẽ accipietis, in nouissimo iudicij magni die. Salutant te, o Electa, filij sororis tuę. gratia tecum sit, o domina Electa, quasi dicat, Ego te saluto post alios, vt gratia Dei, idest bonorum collatio, peccatorum remissio, quædam diuinæ naturæ participatio, & ad Deum reconciliatio sit tibi; vt te ad vitam perducat æternã cũ filijs tuis. Amen. ita sit.

5. Pars, ratio, cur plura non scribat.

FINIS.

V

TERTIAE EPISTOLAE beati Ioannis Apoſtoli

ARGVMENTVM.

GAIVM, pietatis cauſa, extollit, atq; vt in ipſa pietate permaneat, exhortatur. Diotrepen impietatis, & ſuperbiæ cauſa obiurgat. Demetrio autem bonũ teſtimoniũ perhibet cum fratribus vniuerſis.

EPISTOLAE CAP. I.

Textus particula. 1.

SENIOR GAIO chariſſimo, quẽ ego diligo in veritate.

EXPOSITIO.

Exhort. ne deſiſtat a bonis operibus, ob impedimenta.

SENIOR Gaio.] Iſte Gaius erat Corinthius, de quo meminit Paulus Rom.xvi. Salutat vos Gaius hoſpes meus. iſte Gaius, ſuſcepta fide, inſiſtebat aſsiduè operibus charitatis, ita quòd & prędicatores euangelicos reciperet cum maximo periculo ſuæ corporalis vitæ. hunc monet Ioannes, ne deſiſtat a bonis operibus, & maximè hoſpitalitatis, propter garritum, & contradictiones Diotrepis hæreſiarchę, ſed magis Demetrium pium, & miſericordem imitetur. ideo dicit Ioannes ſenior.] non tantùm ætate, ſed fide, moribus, & poteſtate, quia Apoſtolus, ſcribo tibi Gaio chariſsimo. iſte Gaius erat Ioanni charus, quia fidelis: charior, quia inſiſtebat operibus pietatis: chariſsimus, quia hoc agebat intrepidè propter Deum. Gaio, inquam, ſcribo, quem diligo, non naturali affectu; ſed in veritate Charitatis, verè, non propter aliquod temporale commodum.

Textus particula. 2.

CHARISSIME in omnibus orationem facio, proſperè te ingredi, & valere, ſicut proſpere agit anima tua.

Offert orationem, & præces.

Nunc Apoſtolus hortatur Gaium ad perſeuerandũ in bonis operibus, iam inceptis, & quia CHARITAS ad omnia vtilis eſt; ideo primò exhibet ei opus miſericordiæ, & charitatis, quod eſt oratio, dicens, Chariſsime, in omnibus, ſcilicet horis debitis, & cum opportunitas ſe offert, orationem facio, quaſi dicat hoc a Domino pręcibus ex opto, vt, quod bene agis, proſperè perficias, ac etiam oro, te proſperè ingredi in melius ſemper, quaſi dicat, quòd ſemper in ingreſſu, & inceptione, quaſi in principio te eſſe credas, bonorum operum, quia, cum conſumauerit homo, tunc incipiet: ac etiam oro, & te valere corpore, ſicut proſperè agit anima tua, quaſi dicat, vt, ſicut

vt, ficut bonam voluntatem habes in mente, fic falutem, & fanctitatem habeas in corpore; & hoc, vt facilius infiftas operibus charitatis in omnes.

GAVISVS sum valde venientibus fratribus, & testimonium perhibentibus veritati tuæ: ficut tu in veritate ambulas. maiorem horum non habeo gratiam, quàm vt audiam, filios meos in veritate ambulare. Textus particula. 3.

Nunc oftendit, fe, Apoftolus gaudere de bono teftimonio fratrũ, quod exhibent de Gaio. dicit ergo, o Gai, gauifus fum valde venientibus fratribus, fcilicet peregrinis, & teftimonium perhibentibus veritati tuæ, ideft verę charitati tuæ, quia TVNC eft vera charitas in aliquo, quando operatur, quia NEfcit ftare ociofa, & tale de fe, o Gai, perhibent teftimonium, ficut tu in veritate ambulas, ideft tam ftudiosè, & plenè reddunt teftimonium de fe, quàm ftudiofus tu es promptus ad benè operandum. & bene dico, quòd gauifus fum, quia maiorem horum, fcilicet fratrum a te venientium ad me, non habeo gratiam, ideft de aliquo, quod dicunt mihi fratres, vel poffunt a fe ad me afferre non magis gaudere, quàm vt audiam, filios meos in veritate ambulare, ideft proficere in bonis operibus, & virtutibus; vbi nota, quòd Ioannes vocat Gaium filium, quia fua prædicatione, eũ CHRISTO genuerat, quem tamen Paululus poftea baptizauit, & CHRISTO regenerauit per baptifmum, vt ipfe dicit. 1. Chorinth. 1. neminem veftrum baptizaui, nifi Chrifpum, & Gaium.

Gaudet de bono teftimonio, quod pro Gaio redditur.

CHARISSIME, fideliter facis quicquid operaris in fratres: & hoc in peregrinos, qui teftimonium reddiderunt charitati tuæ, in confpectu Ecclefiæ, quos, benefacies, deducens dignè DEO. Pro nomine enim eius profecti funt, nihil accipientes a gentilibus. nos ergo debemus fufcipere huiufmodi, vt cooperatores fimus veritatis. Textus particula. 4.

Nunc monet Gaium, vt femper infiftàt operibus charitatis: primò, quia fideliter operatur, habens fanctam, & piam mentem. 2. illi, quibus prouidet, digni funt. 3. quia, fic operando, cooperator eft veritatis, & particeps regni. dicit ergo, Charifsime Gai, tu ipfe non debes deficere ab operibus mifericordię, quia, fic operando, fideliter facis, quia, pura intentione, & non gloria vana, & mundana; & hoc patet, quia quicquid operaris in fratres, fubueniendo eis, quia hoc facis Deo, cui fide adhæres, & id quod facis fideliter, ideft ex fide facias, comprobatur, quia, & hoc, quod facis in peregrinos, fupple, facis, quos carne non cognofcis, fed tantùm fide, a qui-

Hortatur charitatis operibus infiftere, per tria.
1. Propter fidele, fanctum, & pium opus.

bus nil expectas, sed tantùm a IESV CHRISTO, in cuius fide hæc operaris, qui peregrini a te recepti in fide CHRISTI, & pro fide CHRISTI, testimonium nobis reddiderunt charitati tuę, quam eis exhibuisti, recipiendo, & pascendo, non in abscondito, sed palàm, in conspectu Ecclesiæ, idest multitudinis fidelium, & hoc, vt, tuo exemplo, cæteri ad Deum incendantur, ad similia faciendum. & verè exerces opera pietatis in peregrinos, quos deducis de loco ad locum, quocunq; volunt ire: deducis, dico, dignè Deo, idest ad honorem Dei, ac etiam es benefaciens eis, dum apud te sunt. Et verè benefacis, istos peregrinos deducere, & nutrire, quia illi, quibus benefacis, digni sunt, pro nomine enim eius dispersi, profecti sunt, quia omnia reliquerunt propter CHRISTVM, & posuerunt ad pedes Apostolorũ, & nunc nihil sunt accipientes a gentilibus, quia nihil volebant illis pauperibus illi gentiles dare, vt, sic, necessitatibus costricti, cogerentur fidem CHRISTI relinquere. non enim tu solus, Gai, sed nos omnes CHRISTI fideles debemus, scilicet ex debito pietatis Christianæ, suscipere huiusmodi pauperes. & quare hoc dicit? vt cooperatores simus veritatis, subueniẽdo infirmis, & necessitatẽ patiẽtibus, & maximè propter fidẽ CHRISTI, in qua sola est veritas, & sic, nõ solũ, qui nutriũt credẽtes, sed &, qui recipiũt prædicatores veritatis fidei, dicũtur cooperatores veritatis fidei, vt Gaius faciebat

2. Quòd quibus benefacit, merentur.

3. Quia cooperator sit ueritatis.

Textus particula. 5.

SCRIPSISSEM forsitan Ecclesiæ, sed is, qui desiderat primatum gerere, in eis, Diotrepes non recipit nos.

Cur tãtùm Gaiò scribat, non omnibus.

Nunc ostendit, cur non omnibus scribit, sed Gaio tantùm: & hoc dicit, se fecisse, propter illum Diotrepen hęresiarcham, qui erat ei contrarius, & suam non recepisset epistolam: & sic nunc monet Gaium ad perseuerandum in operibus charitatis, in quibus tantam sensit vtilitatem, quòd toti Ecclesię scripsisset, nisi esset propter Diotrepen. dicit ergo, Scripsissem forsitan Ecclesiæ, idest illi, quæ non certè, sed dubitatiuè est Ecclesia, adeo quòd videtur dubitare, an eorum congregatio foret tunc ecclesia, vel Sinagoga satanę, propter Diotrepen hæresiarcham, quem recipiebant: vel, Scripsissem forsitan Ecclesiæ.] idest omnibus; sed is, qui amat primatum inter vos, scilicet ille Diotrepes hæresiarcha, quem vos recipitis, non recipit nos, nec nostram doctrinam, sed peruertit nostram sanam doctrinã, quam, si scriberemus, facilius impugnaret, quàm verbis eam vobis prædicaremus; quia tunc apti essemus ad resistendum, & correborandum.

Textus particula. 6.

PROPTER hoc, si venero, commoneam eius opera, quæ facit verbis malignis, garriens in nos, & quasi non ei ista sufficiant, neq; ipse suscipit fratres, & eos, qui suscipiunt, prohibet, & de Ecclesia eijcit.

Nunc

Nunc ostendit, quòd, si ad eos venerit, voce manifestabit mala, & errores illius hæresiarchæ. ideo dicit propter hoc, quod nos non recipit, neq; doctrinam, & authoritatem nostram; si venero ad vos, commoneam, id est manifestabo eius opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos. verba maligna sunt errores, detractiones, quas in nos sua lingua maligna componit, vt eos, qui nos audire poterant, corrumpat. Et quasi sibi ista non sufficiant, contra nos fideleis, & quòd nobis detrahat verbis in falsis suis rationibus, & vanis, quibus nititur, nos a fide retrahere, & hoc est, quod garriens in nos loquitur. sufficiant ergo sibi ista iam dicta ad sui ipsius damnationem: & quod peius est neq; ipse suscipit fratres nostros, quasi dicat, quòd, sicut prædicat alijs, quòd non sunt recipiendi peregrini, ita nec ipse recipit, nec solùm hoc malum agit, imò & eos, qui suscipiunt peregrinos fideles, vel suscipere consueti sunt, prohibet, ne susceptis exhibeant curam humanitatis: &, quod maius malum, est, prohibet vtrosq; suscipientes, & susceptos de Ecclesia eijci, idest de sui, & suorum congregatione, quæ fuit olim Ecclesia; tamen modò non est, propter eorum infidelitatem.

Interminatur, se manifestaturū Diotrepis hæresiarchæ crimina.

CHARISSIME, noli imitari malum, sed, quod bonū est. QUI BEnefacit, ex DEO est, qui male facit, non videt DEUM. Demetrio testimonium redditur ab omnibus, & ab ipsa veritate: sed & nos testimonium perhibemus; & nosti, quomodo testimonium nostrum verum est. Multa habui tibi scribere: sed nolui per atramentum, & calamum tibi scribere. Spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur. Pax tibi. salutant te amici: saluta tu amicos nominatim.

Textus particula. 7.

Nunc monet Gaium, ne imitetur illum hæresiarcham Diotrepen: sed potius imitetur Demetrium, qui bonum habet testimonium. Vnde dicit, Charissime, quicquid ille dicat garriens, vel factis operetur; noli imitari malum hominem in malo, sed, quod bonum imitari in bono homine debes, & verè debes bonum imitari hominē, quia, qui benefacit, ex Deo est, qui omnia opera nostra bona operatur in nobis; & verè debemus benefacere, quia ex Deo sumus, & CHRISTI membra. quia, qui malè agit, Deum non videt, oculo interioris affectus, qui per dilectionem, vt per lumen, videt Deum. ostendit nunc Gaio, quomodo debeat imitari, scilicet Demetrium, dicens, Demetrio testimonium redditur, scilicet quòd fratres peregrinos suscipiat ab omnibus, qui ad me veniunt, vel ab hominibus, & ab ipsa veritate, idest a Deo, qui est ipsa veritas: & nos testimonium perhibemus illis, quibus bene credendum est, & præcipuè debes nobis credere,

Monet, ut, uitato hæresiarca Demetrio fideli adhæreat.

Ratio imitandi fidelē uirum.

quia & nosti testimonium nostrum verum esse. hoc autem nosti per alia, quæ iam a me audisti; tamen multa habeo tibi scribere, de hospitalitate, de elemosinis. habui, inquam, multa scribere: sed nolui per atramentum, & calamum scribere tibi: & hoc, quia volo, quòd tu sis epistola mea, atramento charitatis, & digito Dei scripta. ideo autem non multa scribo, quia spero protinus te videre, & tunc os ad os loquemur, scilicet ego, & Diotrepes, vt eius mala opera manifestem, vel os ad os loquemur ego, & tu, vt, quæ ordinanda sunt, ordinemus, & disponamus. Vltimo optat ei pacem, idest mentis, & corporis tranquillitatem, vel a Diotrepe, & ab aliis malis preseruationem, ne ab illis impediatur. Salutant te, o Gai, amici.] a qua salutatione, & bonorum optatione extranei, & longè sunt inimici veritatis, & persecutores fidei. optat enim illi, dico, duo, scilicet pacem, & salutem. Pacem in fuga malorum, & salutem in prosecutione, & obtentione bonorum: vel pacem cum alijs, salutem in se ipso. Saluta tu, o Gai amicos nominatim, quasi dicat doce alios, sicut ego te doceo, saluté animæ, & corporis quærere: animæ propter se, corporis vt alijs proficere valeas: vel sicut tu a me, & aliis salutaris; & ita tu eos, qui apud te sunt saluta: vel sic opto, vt omnes in vna participemus salute, idest in CHRISTO, qui est omnium vnica, & vera salus, qui factus est omnibus sibi obtéperantibus causa saluus æternę.

Salutatio.

Duo cupit Gaio, Pacem, & salutem.

FINIS.

HIERONYMUS IN CATALAGO scriptorum Ecclesiasticorum.



IUDAS, frater Iacobi paruam quidem, quæ de septé catholicis est, epistolã reliquit. Et quia de libro Enoch, qui apocriphus est, in ea assumit testimonium, a plerisque reycitur. tamen authoritatem vetustate iam, & vsu meruit, & inter sanctas scripturas computatur.

R. P.

R. P. MAGISTRI GREGORII PRIMATICCII SENENSIS, ORDINIS PRAEDICATORVM,

In Epistolam beati Iudæ Apostoli, Commentarius.

EPISTOLAE ARGVMENTVM.

IVDAS Apostolus fratres de corruptoribus viæ veritatis ita informat: vt illicitum esse differet et de sub iugo semel erutos seruitutis denuo operam suam officijs nouare seruilibus.

EPISTOLAE CAP. I.

IVDAS, IESV CHRISTI seruus, frater autem Iacobi, his, qui sunt in Deo patre, dilectis; & CHRISTO IESV conseruatis, & vocatis: misericordia vobis, & pax, & charitas adimpleatur. Textus particula. 1.

EXPOSITIO.

IVDAS IESV CHRISTI seruus.] Hæc vltima est epistolarũ canonicarũ: forte, quia vltimò edita, vel quia author est minor inter alios. dicit ergo, Iudas. i. confitens corde, ore, & opere: Iudas dicitur, qui scribit qui & Thadæus dicitur, & tamen nominat se Iudam, quia est suum principale nomẽ: &, vt notetur differentia ipsius ad Iudam Scarioth, subiungit, IESV CHRISTI seruus, non proditor, seruus; dico seruitute amoris, nõ timoris, seruus IESV CHRISTI, cui seruire, regnare est, seruus Iesu, idest Saluatoris nostri & CHRISTI idest mesiæ nostri Regis, & sacerdotis qui se ipsum obtulit in ara crucis pro peccatis nostris. & quia ille, qui scribit, est seruus IESV CHRISTI, accipit epistola authoritatem, & confirmationem, & veritatem dicendorum. Iudas inquit scribit, qui est frater Iacobi, scilicet minoris, qui fuit primus Episcopus Hyerosolimitanus, qui dictus est frater domini: qui similis ei erat statura, & sanctitate: Iudas, inquam, scribit his, qui in Deo patre, idest his, qui sunt filij Dei, & habent Deum patrem in dominũ, & hoc verum

Epistola hæc cur vltima. Iudas, idest Thadeus.

Epistola accipit a Iesu Christo, authoritatem cõfirmationem & veritatem.

verũ est, quia Deus pater, & tota Trinitas pater noster est: & nos eius filij, per vnionẽ gratiæ, & vitæ spiritualis: dilectis enim scribit per fidẽ, & opera & Christo Iesu cõseruatis, idest a Christo Iesu, vel meritis Christi Iesu, con seruatis à turbine malorũ persecutorũ, & hæreticorũ, & à pluuia peccato rum. scribit etiam vocatis, scilicet per Iesum CHRISTVM ad Deum patrẽ, & hoc per Iesum CHRISTVM, idest meritis Iesu CHRISTI; quia nemo venit ad patrem, nisi per eum, vel sic scribit, inquam, vocatis ad hanc dignitatem, quòd, scilicet sunt a Deo dilecti, & conseruati. vocat enim Deus, æternaliter conseruat temporaliter, & diligit finaliter: quia dilecti finaliter saluabuntur: quia, si cadant, Deus apponit manum suam, ne tollantur sine emendatione. vobis, inquam, qui tales estis, vt nunc dixi, adimpleatur misericordia, & pax, & charitas: misericordia, dico, adimpleatur in vobis, per peccatorum dimissionem, quæ inchoatur in præsenti, sed impletur, quando gratia superadditur, adimpletur, quando, continuando in gratia, & in bono, perseuerando vsq; in finem, peruenitur ad gloriam. Similiter & pax inchoatur in præsenti, per declinationẽ a malo, in qua homo Deo reconciliatur; impletur pax, quando reconciliamur inimicis: sed pax adimpletur, vel adimplebitur, quãdo in finem Deus dabit requiem amicis suis. Similiter charitas inchoatur in præsenti, quando Deum diligimus, impletur, quando proximum amamus, sed adimplebitur, quando modus amãdi ille imperfectus tolletur, qui nunc in vita præsenti manet nobiscũ, quod erit in patria, quando ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente diligetur Deus, scilicet toto intellectu sine errore, tota voluntate sine contradictione, tota memoria sine obliuione.

Deus uocat conseruat, & diligit. Misericordia, pax, charitas, quomodo inchoãtur, implentur, & adimplẽtur.

CHARISSIMI, omnem solicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute: necesse habui scribere, deprecãs supercertari semel traditæ sanctæ fidei. Subintroierũt enim quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc iudicium impij, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum dominatorem, & dominum IEsum CHRIstum nostrum negantes.

Textus particula, 2.

Charissimi.] Nunc ostendit causam, quare eis scribit, scilicet, vt permaneant in fide, quam ab apostolis acceperunt, & caueãt ab hæreticis, qui, sub specie sanctitatis, introierant: & ex hoc ostendit causam suæ solicitudinis. ideo dicit Charissimi, ego Iudas, qui vestrãm salutem, & vestrum profectum in bono desidero, faciens omnem solicitudinem scribendi vobis: quasi dicat, quicquid ad solicitum pertinet, non prætermitto, propter quod debeo vobis scribere: & verè necesse habui vobis scribere, scilicet ad monitiones de communi vestra salute, idest de generali, & communi fide euangelica,

Causa scribendi.

euangelica, quæ facit nobis salutem, quæ fides ita vestra est, quòd est omnium fidelium etiam: habui inquam necesse, tamen deprecans vos supercertari, idest supercertemini fidei, idest super fidem vestram certemini, addendo bona opera, fidei inquam addatis opera: semel traditæ, idest perfectè traditæ vobis ab apostolis: fidei dico sanctæ, & hoc quia de sancto, idest de CHRISTO & a sanctis, idest ab apostolis prædicatę & manifestatæ signis, & miraculis: quæ inquam fides est sancta, quia sanctificat, Actuũ xv. Fide sanctificãs corda. Vel sum deprecãs vos super certari, idest super fidẽ, & bona opera certamen passionũ per patiẽtiã addatis. Vel sũ deprecãs vos supercertari fidei sanctæ semel traditæ, idest immutabiliter: quia ego Deus, & non mutor, & verba mea non transibunt. Vel sum deprecans supercertari, scilicet, pro supernis, non pro caducis. nunc dicit quare supercertandum est: quia subintroierunt, idest sub specie sanctitatis, & religionis, introierũt quidam indigni nomine quasi ignoti Deo, & sanctis, vnde nominandi sunt carnales homines, & terreni, non sapientes diuina, & secũdùm carnalem hominem ambulantes: quiquidem homines sunt impij, quia cul tui Dei detrahunt, peruertendo scripturas: qui impij homines olim, idest ab æterno præscripti sunt, idest præuisi sunt a Deo in hoc iudicium, idest in hanc cõdemnationem venturi, quia, antequam illi essent, Deus præuidit, illos tales esse futuros, scilicet quòd mali essent in se, & alios corrumperẽt, & ad vltimum damnarentur. Qui homines impij sunt transferentes gratiã Dei nostri Iesu CHRISTI, scilicet quam nobis fecit, per suam incarnationem, passionem, & resurrectionem, qua nos liberauit, & liberos fecit a lege mortis, & timoris, scilicet Moisi: & transtulit nos in legem fidei euangelicæ, quæ est vitæ, amoris, & libertatis: quam impij, & hæretici sunt trãsferentes, & transferre volentes in luxuriam, idest in duritiam & asperitatẽ legis Moisi, quæ est lex mortis, & timoris: vt cum euangelio obseruetur; vel sunt transferentes gratiam fidei euangelicæ, quæ est amoris, & libertatis, in luxuriam, idest in licentiam & libertatem viuẽdi luxuriose: promittentes sibi impunitatem suorum malorum: ex quo non sentiunt statim, vt olim sub lege mortis suorum vindictam malorum: quia nunc est Deus pietatis, non vindictæ: & non solùm illi impij, quasi dicat, & propter hoc; quia sunt transferentes gratiam Dei nostri in luxuriam, ac etiam cum hoc sunt negantes solum dominatorem, & dominũ nostrũ Iesum CHRISTVM, quasi dicat de diuinis personis male sentiũt, & Iesum CHRISTVM filiũ Dei esse negant, & etiam verba eius peruersè exponunt, & mandata eius nõ custodiunt, vnde impij sunt & infideliter agunt: vel & solum dominatorem, idest Patrem vel filium vel spiritum sanctũ, quorum quilibet est dominus, quia dominus pater, dominus filius, dominus spiritus sanctus: & tamen non tres domini, sed vnus solus est dominus: quoniam dictio exclusiua,

Fides cur dicitur sancta.

Cur est supercertandum.

Mores malorum.

Quæ mala sentiant hęretici de Christo, & diuinis personis.

addita termino essentiali, in diuinis, non excludit personas alias, quia possum dicere, solus pater est dominator, & solus filius est dominator, & solus spiritus sanctus est dominator. & sic solum dominatorem negare, est negare non tantùm vnam personam, scilicet patris, sed est negare patrem, & filium, & spiritum sanctum, quorum quilibet est dominator: & non hoc tantùm negant, sed etiam negant dominum nostrum Iesum CHRISTVM, idest messiam saluatorem nostrum Deum, & hominem, & sic impij sunt, & infideles.

Textus particula. 3.

COMMONERE autem vos volo, scientes semel omnia; quoniam IESVS, populum suum de terra AEgipti saluans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit: angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suũ domicilium in iudicium magni Dei, vinculis æternis sub caligine reseruantur.

Ostendit, Christum non esse negandum, ex parte suæ potentiæ.

Nunc ostendit, CHRISTVM dominum nostrum non esse negandũ, propter quod impijs ostendit CHRISTI potentiam, quam habet in saluando bonos, & damnando malos, & duplici exemplo, & populi ex AEgipto liberati, secundo exemplo Angelorũ. dicit ergo, Commonere.] quasi dicat quia illi Deum, & dominatorem negant; ego ẽ conuerso volo vos commonere semel, idest perfectè quasi semel pro semper, vt sitis sciẽtes omnia, scilicet arcana fidei. omnia, scilicet quæ sunt necessaria ad salutem, vel omnia, quasi de omnibus, quę sequuntur sitis instructi; & primò quoniã Iesus, nõ ille filius Nauæ, scilicet Iosue: sed dominus noster, qui non a partu Virginis principium habet, sed est Deus æternus, qui temporaliter natus de virgine, & ipse nomẽ Iesus verè accepit, quasi verus, & solus saluator bonorũ, & ponitur malorum: per istum enim Iesus Nauæ, idest Iosue fuit animatus, & roboratus, quiquidem noster Iesus eduxit populum Israeliticum de terra, & seruitute AEgypti, saluans ipsum populum, ne scilicet ab AEgyptiis tangeretur, nec infirmitatibus, vel defectibus grauaretur, quia non erat in tribubus eorũ infirmus, quasi dicat quando humiles fuerunt saluauit eos, &, quando murmurauerunt, damnauit eos: ideo dicit, secundo, idest postea eos, qui non crediderunt, perdidit, quando, per quadraginta annos, fecit eos errare in deserto, donec consumpti sunt omnes, qui murmurauerunt. & secundò dicit ordinem temporis, non numeri, vel secundò dicit, vt notetur numerus pœnarum. quia primò puniuit pœna temporali: secũdò pœna ęterna puniuit illos, qui inter flagella non pœnituerunt, vel secũdò perdidit, quia primò murmurauerunt pro labore itineris. Numeri xi. Et hoc fuit tribus diebus continuis ambulando, vt in fine x. cap. dicitur.

Deus punitor malorũ primo exẽplo iudæorum.

Quomodo secundo puniuit.

Secundò

Secundò murmurauerunt propter timorem habitatorum terrę promissionis, quos viderunt exploratores, qui retulerunt, quòd erant quasi gigantes, Num. xiiii. Igitur vociferans omnis turba fleuit, & murmurauit cōtra Moisen, & Aaron multitudo, dicens, Vtinā mortui essemus in Aegypto, & non in ista vasta solitudine. In primo murmure perdidit non credentes, per incendium: in secundo murmure perdidit incredulos, per pœnā quadraginta annorum, quia, quadraginta annis, fuit offensus generationi illi. deinde idem ostendit, exemplo Angelorum, quos Deus potenter de Paradiso eiecit: dicens Angelos, quasi dicat, non solùm homines potenter puniuit, sed & Angelos, qui non seruauerunt suum principatum. principatū habuit Lucifer in præeminentia, & excellentia bonorum naturalium, quo per gratiam de aliis spiritibus principabatur, gratis sibi donatam, & nō per gratiam gratum facientem, vel non seruauerunt suum principatum, quia de omnibus dicit: quia de omnibus ordinibus aliqui ceciderunt; quia non seruauerunt suum principatum, idest præeminentiam, & maiestatē, quam habebant: quia in quolibet erat vnus aliquis princeps aliorum: ceciderunt, inquam, & dereliquerunt suum domicilium, idest cœlorum habitaculum, vel Dei visionē, in qua quiescere debuerunt, si permansissent. Hos, inquā, Angelos ipse dominus reseruauit, vinculis ęternis, idest pœnis, & doloribus æternis ipsius inferni: reseruauit dico, modò sub caligine existentes, idest in pœna positos in hoc caliginoso aëre, sed tandem venturos in iudiciū magni Dei, quem nil latere potest: & tunc in infernū omnes claudētur.

Secundo exēplo angelorum.

Textus particula. 4.

SICUT Sogdoma, & Gomorrha, & finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, facti sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinētes. Similiter & hi, qui carnem quidem maculant, dominationem quidem spernunt, maiestatem autem blasphemant. Cum Michael archangelus cū diabolo altercaretur de Moisi corpore, NON ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit, Imperet tibi Deus. hi autem quæcunq; quidem ignorent, blasphemant: quæcunq; autem naturaliter, tanquam muta animalia norunt, in his corrumpūtur. VE Hillis, qui in via Caim abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Chore perierunt. Hi sunt in epulis suis maculæ conuiuantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, arbores

autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sydera errantia, quibus procella tenebrarum conseruata est in æternum. Prophetauit autem de his septimus ab Adam Enoch, dicens, Ecce venit Dominus in sanctis suis millibus facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt: & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impij: Hi sunt murmuratores querulosi, secundum desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superbiam, mirantes personas, quæstus gratia.

Mali non imitandi, qui Christum negăt prima ratio propter eorum pœnam.

Deinde cum dicit. Sicut Sogdoma.] ostendit, quòd nõ debent imitari eos, qui CHRISTVM negant, per pœnam, quæ ex hoc sequitur, exemplo Sogdomæ, cum dicit, Sicut Sogdoma, ac etiam propter multas eorũ abhominationes, & peccata, quę enumerat ibi, Veh illis. demum, quia apostoli hoc prohibuerunt ibi, Vos autem. agit ergo nunc de pœna malorum, qui non sunt imitandi, quia ex eorum imitatione sequitur mors æterna, & temporalis, cum dicit, Sicut Sogdoma, & Gomorrha, & Finitumæ ciuitates. Simili modo, scilicet sicut duę antedictæ exfornicatę sunt, idest extra naturam, & extra naturalem vsum, fornicatę sunt: & declarat modum non naturalem, quia & abeuntes post carnem alteram, idest masculinam non debitam, tali modo masculi in masculos turpitudinem operantes: facti sũt exemplum ignis ęterni: ipsi dico sustinentes pœnam temporalé, per quam non sunt purgati: sed talis pœna fuit eis initium æternæ pœnæ ipsius ignis infernalis, sicut, inquam, factum est illis; similiter & hi, scilicet qui CHRISTVM negant, sunt damnandi, qui carnem maculant suam, & aliorum, turpia carnalia operantes; dominationem autem spernunt. quia maiestati diuinæ detrahunt, non credendo, Deum curare mortalia, & non fore reddendum vnicuique secundùm opera sua a Deo; dominatore, quem ipsi negăt; maiestatem autem blasphemant, idest Deum, quem in scriptura, sibi ignota, non venerantur, sed non datam a Deo dicunt: & sic non imitandi, quia blasphemi. & verè nullo modo est blasphemandum; quia & Michaël noluit diabolum blasphemare. & hoc est, quod dicit: Cum Michaël.] exponenunc de vero Moisi corpore controuersiam inter bonum, & malũ angelum; sic. cum Michaël archangelus, cum diabolo, disputans, altercaretur de corpore Moisi; non est ausus iudicium inferre blasphemiæ; sed dixit imperet tibi Deus. quia enim malus angelus volebat, quòd corpus Moisi maniseste

2. Non imitandi quia blasphemi. cur non blasphemandũ Explanatio de corpore Moisi.

manifestè appareret hominibus, post mortem: & sic sciretur a iudęis, vt ipsi illud adorarent, tanquam Deű: Michael, qui tunc præerat synagogæ, per missione Dei, illud abscondit Deuteron. xxxiiii. Non cognouit homo se pulchrum eius. non est ausus ipse bonus angelus iudicium inferre blasphemiæ.] idest maledicere ei, scilicet diabolo, qui est bona creatura Dei, in natura sua; & si voluntate sit malus. sed magis cum modestia dixit. imperet tibi Deus, & sic noluit diabolo imperare, sed dixit, Deus tibi imperet, cui obedire tenėris, & sic est obediendum; nullo modo est blasphemandum, per locum à minori si creatura non est blasphemanda, ergo multò minus blasphemandus creator. vel sic, vt sit sermo de populo captiuo in Babylone, cuius liberationi obstabat diabolus, volens impedire Dei cultum, qui fiebat in Ierusalem: ideo dicit, Cum Michael archangelus cum Diabolo altercaretur de corpore Moisi.] idest de populo Dei cum diabolo coram Pharaone, qui erat membrum diaboli, quia à diabolo regebatur in hoc: nõ est ausus ipse Michael iudicium inferre blasphemiæ, quia non legitur, eū ali quam intulisse blasphemiam. similiter expone de populo captiuo in Babylone, cuius liberationi obuiabat diabolus propter cultum Dei in Ierusalẽ. Et vere ille nõ est ausus blasphemare: hi autem, scilicet hæretici, & blasphemantes, & malè sentientes de Deo, & dominatore omnium, blasphemant ex superbia cordis, & elatione mentis. blasphemant, inquam, quęcunq; ignorant: respectu quorum, scilicet fit blasphemia, quæ potest esse contra creaturam rationalẽ, vel creatorem; vel, quæ non capiunt, blasphemant, & cum diuina non capiant, malè de his sentiendo, blasphemant, attribuẽdo, quæ non conueniunt, vel remouendo, quæ cõueniunt. Quęcunq; autem naturaliter, tanquam muta animalia, norunt, idest ea, ad quæ mouet naturalis appetitus, in his corrumpuntur.] idest in his corrupiè mouẽtur, & sine moderamine rationis; quia, sicut in brutis animalibus, in quibus voluntas appetitum animalem statim sequitur, vt adimpleant, quod desiderant, suas sequentes concupiscentias. Veh illis.] Nunc autem vt illos malos fugiamus, enumerat diuersa eorum peccata, & primo ostẽdit, illos per uersos armari gladio peruersæ doctrinæ, ibi in via Caim. Secundò, malo consilio alios seducere nituntur, ibi Balaam. Tertio contra Prælatos insurgunt, ibi chore. Ista sunt tria genera hæreticorum, quorum quidã peccant per inuidiam vt Caim, quidam auaritia laborant, vt Balaam, aliqui ambitione, vt Chore. De his dicit, Veh illis.] idest æterna damnatio expectat eos, & dabitur illis, qui, scilicet in via Caim abierunt, idest qui, propter inuidiam, permanserunt in hæresi, qui inuident profectibus aliorum, ac etiã veh illis, qui, errore Balaam.] idest veh illis, qui eius errorem sequuti, mercede effusi sunt: qui, munera amantes, & auaritiam sectantes, peruertunt iudicia, & mala dant consilia, sicut Balaam qui, volens maledicere popu-

Nunc idem expone de populo captiuo in Babyllone.

Vt hæreticos, & scismaticos fugiamus, enumerat corũ mala. Hęreticorũ tria genera inuidi, auari, ambitiosi.

lo Dei, cum non potuit, malum consilium dedit, vt scilicet mitterent mulieres formosas de Madia, cum quibus fornicarentur filij Israel; & sic maledicerentur a Deo & incurrerét iram Dei; & sic, scilicet veh illis, qui in cō tradictione Chore perierunt, Nume. xvi. per quos significantur inobedientes suis Prælatis, qui erigunt se contra Prælatos. & quàm magnum sit malum, patet: quia duo Magi, qui restiterunt Moisi, vlceribus vesicarum turgentium, sunt percussi: itaq; nec stare poterant coram Moise. Exod. ix. Chore incendio perijt: Dathan, & Abiron terra viuos absorbuit. Num. xvi. Maiorem sororem Moisi lepra inuasit. Num. xii. Ecce quàm magnum malum est maioribus resistere. Nunc ostendit, quales isti mali hæretici, & rebelles sint in se ipsis, scilicet gulosi, vt dicit. Hi sunt in epulis suis maculæ cō uiuantes.] idest gulæ vltra modum studentes, voluptatem existimātes Dei delitias: demum isti sunt sine timore.] scilicet mala operantes: & hoc quia non citò profertur contra eos sententia, ac isti sunt semetipsos pascentes, ideo immisericordes, ideo tales misericordiā non consequentur: sunt etiā nubes sine aqua.] idest impetuosi, quia tales nubes solent fulgura, & tempestates inferre; quæ a ventis circumferuntur: vbi notatur impatientia, & instabilitas, & insipientia: quia sine aqua sunt.] scilicet sapientiæ, qua dominus potat suos. sunt etiam tales, arbores autumnales.] vbi notatur pigritia ad bonum. Illæ enim arbores, quæ tunc plantantur, tunc eis cadūt folia, & fructus non faciunt, propter hyemen subsequentē, vel si facerent, ad maturitatem non perducerét: sic heretici, & falsi christiani, quando sūt in fœlicitate positi, apparent benè radicati, quasi apti ad fructificandū: sed quamprimum venerit hyems aduersitatis, propter fidem CHRISTI, tunc apparent mortui, & sine fructu: & si aliquos faciunt fructus, tamen inutiles, & acerbos: ideo dicūtur infructuosæ sibi, & alijs: ac sunt tales falsi christiani arbores bis mortuę.] scilicet hic primò per culpam & in inferno per pœnam: vel bis mortuæ, primo quia non cauent a malo, secundò, quia nō faciunt bonum: & sic sunt arbores eradicatę, scilicet a gratia benè operādi, ideo bis moriuntur, in anima, & in corpore, scilicet vita spirituali, & corporali. sunt etiam tales, fluctus feri maris.] idest turbidi maris, quasi dicat sicut mare turbidos fluctus habet, & commotiones, quæ naues concutiūt; sic & isti habent multas commotiones, & amaritudines, quę animam suam circumferunt, & turbant: vel isti hæretici sunt fluctus feri maris, propter violentias, & impugnationes, quibus turbant ecclesiam: & sunt despumantes suas confusiones, idest diuersimodè contra ecclesiam garrientes, indebitè, & inhonestè scripturas exponentes, quia, sicut ex concursu vndarum spuma generatur, sic isti, ex coniunctione authoritatum, prauè intellectarum, superbiam generant, quæ est tandem illorum confusio; ac sunt isti mali sydera errantia, vnde non debetis vos fideles illos sequi; sicut nautæ non obseruant,

Contra erigétes se in prælatos a malo sequēti.

Mores hæreticorū in seipsis.

Sunt nubes sine aqua.

Arbores autumnales.

Arbores bis mortuæ.

Fluctus feri maris.

Sydera errantia.

obseruant, nec sequuntur stellas erraticas, sed fixas. sic hæretici dicuntur stellæ erraticæ, quia errant & alios, eas sequentes, errare faciunt. ideo bene sequitur, Quibus procella tenebrarum seruata, in ęternum, nō ad tempus, vt aliqui dixerunt, æstimasse abyssum senescentem, vel senescere, idest inferni pœnam putantes aliquando deficere: & non dicit tantum procellam, sed addit tenebrarum, ne, si viderent procellam venientem, fugere, eam possent, vel vitare: & sic notatur, quòd illam procellam, idest illam pœnã infernalem nunquam euadent, & hoc, quia ipsi excęcati, alios excęcauerūt, per suos errores. Et verè procella pœnarum eis reseruatur, quia prophetauit de his malis, & eorum pœnis septimus ab Adam Enoch, & hoc est verum, si cōputetur in numero ipse Adam (Gen. v. i. paral. i.) Adam enim 1. Seth. 2. Enos. 3. Cainan. 4. Malaleel. 5. Iared. 6. Enoch. 7. prophetauit inquam dicēs. Ecce venit dominus in sanctis millibus suis.] scilicet existens, venit, idest veniet, scilicet patenter, & terribiliter quo ad malos, sanctos secum adducet, qui cum eo iudicabunt. venit dico facere iudicium cōtra omnes, scilicet malos arguere, idest conuincere, & manifestare omnes impios, quorum opera prius latebant. ideo dicit: venit arguere impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, idest sinè pœnitentia, quia tunc manifesta erunt consilia cordium, nō solùm opera corporum. ideo dicit, quia non solùm arguet de factis, imò & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum, peccatores impij.] scilicet mente, corde, & ore.] & quia reddituri sunt rationem de omni verbo inordinato, & ocioso, multo magis de blasphemijs, quæ sunt dura verba, vel de omnibus duris, idest de operibus contra fidem, non solùm de his, quæ sunt contra mores, & si cui mirum videatur, quòd hîc apostolus sumat testimoniū de apocriphis, scilicet ipsius Enoch, & non ab authenticis libris; dic, quòd sumpsit illud testimonium futuri iudicij ab ipsis apocriphis, quia tale testimonium in ista parte non est dubium, sed conforme catholicę veritati. & si ille Enoch non fuit propheta, tamen vera pręd ixit, & prophetauit. deindecum dicit hi mali, & falsi christiani sunt murmuratores.] scilicet de bonis naturalibus, & gratuitis aliorum, quibus inuident, vel murmuratores contra Deum, & contra ecclesiam latrantes; vt eius bona subripiant: sunt etiam querulosi, a quæro, ris; quia isti quęstum existimant pietatē: vel querulosi a queror quereris, conqueruntur enim de laboribus præsentis vitæ, tam temporalibus, quia vellent ociosi viuere; quàm spiritualibus, quia nollent, abstinentia, membra sua domare, nec per pœnitentiam ad Deum redire; & causam sobdit, quia secundùm desideria sua sunt ambulantes, quia a voluptatibus carnis, & cōcupiscentiis non abstinent, nec se ipsos refrenāt; & ex hoc os eorum loquitur superbiam: & nolunt subiici; quia, se solos dicunt cognoscere veritatem, & neminem saluari posse, nisi in eorum secta:

Ideo cauendum ab eis.

Propheta uit Enoch, Septimū ab Adam de pœnis horū hęreticorū

Mali isti sūt murmuratores, & querulosi.

Nec uolūt per penitētiā ad Deū redire.

Sunt & mirantes, & adulatores.

deinde sunt mirantes.] idest cum quadam admiratione honorantes personas maiorum, scilicet principum, & baronum, quæstus causa, idest vt ab eis aliquid accipiant fauoris, vel dignitatis, vel aliud commodum temporale sic etiam multi faciunt, qui intendunt diuitibus placere, & eis blandè loquuntur, dimittentes, quod iustum est, vel dissimulantes, vt ab eis aliquid accipiant: plus ad pecuniam, & suum commodum habẽtes oculos, quàm ad animam, & Dei honorem: & his similibus plenus est mundus: & hi penetrant domos principum, & aliquando prælatorum, qui magis gaudent decipi, quàm instrui veritate, quæ nunc corruit in plateis.

Textus particula.5.

VOS autem, charissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab apostolis domini nostri IESU CHRISTI. Qui dicebant vobis, quoniam, in nouissimis temporibus, venient illusores, secundùm sua desideria ambulantes, non in pietate. HI sunt, qui segregant semetipsos animales, spiritum non habentes: vos autem, charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in spiritu orantes, vosmetipsos, in dilectione Dei, vos seruate, expectantes misericordiam domini nostri IESU CHRISTI in vitam æternam. ET hos quidem arguite iudicatos, illos vero saluate, de igne rapientes, alijs autem misereminì in timore, odientes eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.

Hortatur, ne imitentur prænominatos.

Monet nunc fideles, quòd non debent imitari illos supra nominatos, quia hoc apostoli iam prohibuerunt eis: ideo dicit charissimi.] quasi dicat quicquid dicant illi mali vel faciant: vos autem charissimi, memores estote verborũ, quæ prædicta vobis sunt ab apostolis domini nostri IESU CHRISTI: vt & mente cognoscatis, & opere compleatis, quæ prædicta sunt ab apostolis; quia a Deo, qui est veritas, missi sunt; vnde non nisi veritatem dicunt: qui apostoli dicebant vobis: quoniam in nouissimis temporibus venient illusores.] scilicet veritatis, a se ipsis, non a Deo missi, illusores veritatis fidei, & fidelibus illudentes; vnde & Antichristi nominari possunt: qui sunt ambulantes secundùm sua desideria, scilicet vana, carnalia, & temporalia, & nõ sunt ambulantes in pietate diuini cultus: quia sunt sine pace, criminatores, incontinentes, sine benignitate, proditores proterui, tumidi, & voluptatum amatores.] ideo dicit apostolus, illos esse sine pietate ad deum, & ad proximum: ideoq; segregant semetipsos a facie ecclesiæ veræ, & conuenticula faciunt, in sanguinibus, & peruersitatibus, & erroribus: vel segre-

Mores malorum.

Sine pietate.

vel segregant se, idest seorsum à grege Domini se agunt. & vnde hoc? quia sunt animales, spiritum veritatis non habentes: quia animalis homo non percipit, quæ Dei sunt, non habentes spiritum, dico, quo discernant credenda, eligenda, vel fugienda. deinde; cum dicit vos autem, charissimi.] monet nunc, super fundamẽtum fidei bona opera ædificare. vos autem.] quasi dicat, quia illi tales sunt: vos autem dissentiatis ab eis, charissimi, & hoc sic, scilicet superædificantes fidei vestræ.] idest super fidem vestrã sitis ædificantes vosmetipsos, tanquam lapides viuos, per opera mandatorum, & consiliorum, viuificatos; & sic sitis orantes in spiritu sancto, vosmetipsos in dilectione Dei seruate.] quasi dicat merito orationis, quam a gratia spiritus sancti didicistis; quia, quid oremus nescimus, sicut oportet; sed ipse spiritus postulat pro nobis.] idest facit & docet nos postulare: sitis inquã orãtes, idest merito orationis seruate vos in dilectione Dei, scilicet propter se, & proximum, propter ipsum Deum, adeo quòd vna sine altera esse nõ potest & ex hoc sitis expectantes misericordiam Dei, & domini nostri IESV CHRISTI; & hoc in vitam æternam.] quasi dicat, hęc est misericordia, quam debetis expectare, scilicet vita æterna, quæ est ex misericordia, tanquam ex radice merendi, quæ dicitur gratia, sed quo ad mensuram remunerandi, quæ supra condignum erit; hoc est ex misericordia, vel ex promissione Dei iam facta. Et hos quidem, quasi dicat tales vt dixi vos sitis in vobis, & non solùm bene in vobis vos habete, sed etiam ad alios. vnde dicit. Et hos quidem, scilicet obstinatos, arguite, iudicatos.] idest quia iam iudicati sunt, quia, qui non perfecte credit, iam iudicatus est, illos verò, scilicet nõ obstinatos, etsi peccatores, saluate, scilicet vestris admonitionibus, & orationibus. saluate, inquam, deigne vitiorum quo itur ad infernum damnatorum. saluate, dico, sic rapientes eos de manu mortis, & de potestate tenebrarum. Alijs, scilicet, qui non sunt obstinati in malo, miseremini, eis compatiendo, & ad bonum reuocando, vel alijs pœnitentibus miseremini, scilicet eorum onera cum eis per compassionẽ portando. & hæc omnia facite in timore domini. Nunc ponit modum hæc omnia faciendi, cum dicit odientes eam, quæ carnalis est, maculatam tunicã,] quasi dicat, corripite eos, vitia odientes, non naturam. ideo sitis odientes maculatam tunicam, idest carnem, & carnalem concupiscentiam, ne eam ametis, ne cã sequamini; sed fugite ab ea; quia carnalis, & ad carnalia vos trahens: sitis eam odientes per fugam, tanquam a facie colubri.

Animales.

Opera bonorũ super fidem sunt fundata.

Orate est opus a spiritu sancto in spiratum.

Expectãtes misericordiam.

Obstinati arguendi.

Peccatores saluandi admonitionibus, non obstinati.

Modus faciend hæc omnia.

EI autem, qui potens est vos conseruare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione, in aduentu domini nostri IESV CHRISTI, soli Deo saluatori nostro, per IESVM CHRISTVM dominum

Textus particula. 6.

nostrum, gloria, magnificentia, imperiũ, & potestas, ante omnia sæcula, & nunc, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

In omnibus est gratias agendũ & Dei gloriam quærenda est.

Ei autem.] nunc monet eos, vt, in omnibus, agant gratias, & quærant gloriam Dei, cum dicit, Ei autem, qui potens est vos conseruare.] scilicet in omni bono, & præseruare a malo, dando gratiam, qua potestis peccata vitare, & potens est constituere in futuro, in anima, & corpore simul immortales, ante conspectum gloriæ suæ, quando scilicet gloriam eius videbimus, vel, quando videbimus gloriosum. Constituere, inquam, potest immaculatos ab omni sorde animæ, & corporis, & sic sine macula culpæ; & constituere in exultatione, & gaudio; & hoc erit in aduentu, scilicet ad iudicium domini nostri IESV CHRISTI, quando veniet cum potestate magna, & maiestate, iudicare sæculum per ignem. ei, inquam, soli Deo saluatori nostro, qui, per filium suum vnigenitum, nos saluauit, & saluat. ideo dicit per IESVM CHRISTVM, idest meritis IESV CHRISTI saluatoris, regis, & sacerdotis, & mesiæ nostri, qui est Dei virtus, & Dei sapientia: gloria, inquam, illi sit in se, & magnificentia in operationibus. imperium illi sit.] idest omnium regimen, ita quòd omnis voluntas fiat vbiq;, in cœlo, & in terris, ac potestas sit ei, cui nil resistere posit; quia potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur: & hęc sunt illi ante omnia sęcula.] idest ante huius mundi constitutionem: & nunc, idest toto tempore, & in omni mensura rerum sęcularium, quæ inceperunt, & desinent cum isto sęculo, ac etiam, & in omnia sæcula consecutiua sæculorum, quæ futura sunt, post mundi finem, quasi dicat gloriosus est Deus ab æterno, vsq; in æternum. Amen. Confirmatio dictorum, quasi dicat nihil cadet, vel deficiet ab eis, quæ prædiximus.

FINIS.



INDEX NOTABILIVM

Q

R

S

FINIS.



Tabula capitum textus.

F I N I S.

IN EXPOSITIONE, ANIMADVERTENDA LECTORI.

Pagina.	Ver.	Erratum	Correctio
12.	18.	folicitum	foli licitum.
15.	15.	parentis	petentis.
17.	8.	& probata	& probata est.
23.	7.	recipiendis	recipiendi.
40.	ultimo.	fumpta eft Dei	fumpta eft ex Dei.
47.	4.	ex	& ex.
80.	30.	conmanda	confideranda
110.	4.	expendam.	explendam.
114.	5.	naturam primam	materiam primam
114.	7.	fluit	fuit
137.	12.	& per.	& non per.
141.	17.	charitate	charitatem.
141.	24.	cum	eum.
145.	7.	fubftinebat	fubftentabatur.
147.	1.	quia pro tali fruftra oratur.	quia pro taliter continuante non fruftra oratur.
147.	3.	non eft mortale.	non eft femper mortale.
147.	4.	& a Deo non feparãs	& a Deo non femper feparãs
162.	20.	ponitur	punitor.

FINIS.

Ex quo, propter multas occupationes, haec omnia Magistri Gregorij non potui diligenter videre; ita concedo imprimendi licentiam; vt ab aliquo perito Theologo approbentur. Datum Senis, in conuentu nostro sancti Francisci, die 16. octobris. 1572.

F. Franciscus de Monte Flor. Inquisitor manu propria.

Ego fr. Adeodatus Senen. & Augustinensis, cũ R. P. M. Gregorij Senensis Dominicani expositionem super Canonicas epistolas legerim, nihilq; in ea inuenerim, vel cognouerim, quod (meo iudicio) veritati, ac pietati fidei catholicæ aduersetur: censeo dignam, quæ ad manus hominum per impreßionem transmittatur: & approbo.



REGISTRUM.

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Tutti sono fogli, eccetto il Z. che è mezzo foglio.



Sunt & mirantes, & adulatores.

deinde sunt mirantes.] idest cum quadam admiratione honorantes personas maiorum, scilicet principum, & baronum, quæstus causa, idest vt ab eis aliquid accipiant fauoris, vel dignitatis, vel aliud commodum temporale sic etiam multi faciunt, qui intendunt diuitijbus placere, & eis blandè loquuntur, dimittentes, quod iustum est, vel dissimulantes, vt ab eis aliquid accipiant: plus ad pecuniam, & suum commodum habétes oculos, quàm ad animam, & Dei honorem: & his similibus plenus est mundus: & hi penetrant domos principum, & aliquando prælatorum, qui magis gaudent decipi, quàm instrui veritate, quæ nunc corruit in plateis.

Textus particula. 5.

VOS autem, charissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab apostolis domini nostri IESU CHRISTI. Qui dicebant vobis, quoniam, in nouissimis temporibus, venient illusores, secundùm sua desideria ambulantes, non in pietate. HI sunt, qui segregant semetipsos animales, spiritum non habentes: vos autem, charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in spiritu orantes, vosmetipsos, in dilectione Dei, vos seruate, expectantes misericordiam domini nostri IESU CHRISTI in vitam æternam. ET hos quidem arguite iudicatos, illos vero saluate, de igne rapientes, alijs autem miseremini in timore, odientes eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.

Hortatur, ne imitentur prænominatos.

Monet nunc fideles, quòd non debent imitari illos supra nominatos, quia hoc apostoli iam prohibuerunt eis: ideo dicit charissimi.] quasi dicat quicquid dicant illi mali vel faciant: vos autem charissimi, memores estote verborũ, quæ prædicta vobis sunt ab apostolis domini nostri IESV CHRISTI: vt & mente cognoscatis, & opere compleatis, quæ prædicta sunt ab apostolis; quia a Deo, qui est veritas, missi sunt; vnde non nisi veritatem dicunt: qui apostoli dicebant vobis: quoniam in nouissimis temporibus venient illusores.] scilicet veritatis, a se ipsis, non a Deo missi, illusores veritatis fidei, & fidelibus illudentes; vnde & Antichristi nominari possunt: qui sunt ambulantes secundùm sua desideria, scilicet vana, carnalia, & temporalia, & nõ sunt ambulantes in pietate diuini cultus: quia sunt sine pace, criminatores, incontinentes, sine benignitate, proditores proterui, tumidi, & voluptatum amatores.] ideo dicit apostolus, illos esse sine pietate ad deum, & ad proximum: ideoq; segregant semetipsos a facie ecclesiæ veræ, & conuenticula faciunt, in sanguinibus, & peruersitatibus, & erroribus:

Mores malorum.

Sine pietate.

vel segre-

vel segregant se, idest seorsum à grege Domini se agunt. & vnde hoc? quia sunt animales, spiritum veritatis non habentes: quia animalis homo non percipit, quæ Dei sunt, non habentes spiritum, dico, quo discernant credenda, eligenda, vel fugienda. deinde; cum dicit vos autem, charissimi.] monet nunc, super fundamétum fidei bona opera ædificare. vos autem.] quasi dicat, quia illi tales sunt: vos autem dissentiatis ab eis, charissimi, & hoc sic, scilicet superædificantes fidei vestræ.] idest super fidem vestrá sitis ædificantes vosmetipsos, tanquam lapides viuos, per opera mandatorum, & consiliorum, viuificatos; & sic sitis orantes in spiritu sancto, vosmetipsos in dilectione Dei seruate.] quasi dicat merito orationis, quam a gratia spiritus sancti didicistis; quia, quid oremus nescimus, sicut oportet; sed ipse spiritus postulat pro nobis.] idest facit & docet nos postulare: sitis inquá orátes, idest merito orationis seruate vos in dilectione Dei, scilicet propter se, & proximum, propter ipsum Deum, adeo quòd vna sine altera esse nó potest & ex hoc sitis expectantes misericordiam Dei, & domini nostri IESV CHRISTI; & hoc in vitam æternam.] quasi dicat, hęc est misericordia, quam debetis expectare, scilicet vita æterna, quæ est ex misericordia, tanquam ex radice merendi, quæ dicitur gratia, sed quo ad mensuram remunerandi, quæ supra condignum erit; hoc est ex misericordia, vel ex promissione Dei iam facta. Et hos quidem, quasi dicat tales vt dixi vos sitis in vobis, & non solùm bene in vobis vos habete, sed etiam ad alios. vnde dicit, Et hos quidem, scilicet obstinatos, arguite, iudicatos.] idest quia iam iudicati sunt, quia, qui non perfecte credit, iam iudicatus est, illos verò, scilicet nó obstinatos, etsi peccatores, saluate, scilicet vestris admonitionibus, & orationibus. saluate, inquam, de igne vitiorum quo itur ad infernum damnatorum. saluate, dico, sic rapientes eos de manu mortis, & de potestate tenebrarum. Alijs, scilicet, qui non sunt obstinati in malo, miseremini, eis compatiendo, & ad bonum reuocando, vel alijs pœnitentibus miseremini, scilicet eorum onera cum eis per compassioné portando. & hæc omnia facite in timore domini. Nunc ponit modum hæc omnia faciendi, cum dicit odientes eam, quæ carnalis est, maculatam tunicá.] quasi dicat, corripite eos, vitia odientes, non naturam. ideo sitis odientes maculatam tunicam, idest carnem, & carnalem concupiscentiam, ne eam ametis, ne cá sequamini; sed fugite ab ea; quia carnalis, & ad carnalia vos trahens: sitis eam odientes per fugam, tanquam a facie colubri.

Animales.

Opera bonorú super fidem sunt fundata.

Orare est opus a spiritu sancto inspiratum.

Expectátes misericordiam.

Obstinati arguendi.

Peccatores saluandi admonitionibus, non obstinati.

Modus faciend hæc omnia.

EI autem, qui potens est vos conseruare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione, in aduentu domini nostri IESV CHRISTI, soli Deo saluatori nostro, per IESVM CHRISTVM dominum

Textus particula. 6.

Y nostrum,

nostrum, gloria, magnificentia, imperiū, & potestas, ante omnia sæcula, & nunc, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

In omnibus est gratias agendū & Dei gloriam quærenda est.

Ei autem.] nunc monet eos, vt, in omnibus, agant gratias, & quærant gloriam Dei, cum dicit, Ei autem, qui potens est vos conseruare.] scilicet in omni bono, & præseruare a malo, dando gratiam, qua potestis peccata vitare, & potens est constituere in futuro, in anima, & corpore simul immortales, ante conspectum gloriæ suæ, quando scilicet gloriam eius videbimus, vel, quando videbimus gloriosum. Constituere, inquam, potest immaculatos ab omni sorde animæ, & corporis, & sic sine macula culpæ; & constituere in exultatione, & gaudio; & hoc erit in aduentu, scilicet ad iudicium domini nostri IESV CHRISTI, quando veniet cum potestate magna, & maiestate, iudicare sæculum per ignem. ei, inquam, soli Deo saluatori nostro, qui, per filium suum vnigenitum, nos saluauit, & saluat. ideo dicit per IESVM CHRISTVM, idest meritis IESV CHRISTI saluatoris, regis, & sacerdotis, & messiæ nostri, qui est Dei virtus, & Dei sapientia: gloria, inquam, illi sit in se, & magnificentia in operationibus. imperium illi sit.] idest omnium regimen, ita quòd omnis voluntas fiat vbiq;, in cœlo, & in terris, ac potestas sit ei, cui nil resistere posit; quia potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur: & hęc sunt illi ante omnia sęcula.] idest ante huius mundi constitutionem: & nunc, idest toto tempore, & in omni mensura rerum sęcularium, quæ inceperunt, & desinent cum isto sęculo, ac etiam, & in omnia sæcula consecutiua sæculorum, quæ futura sunt, post mundi finem, quasi dicat gloriosus est Deus ab æterno, vsq; in æternum. Amen. Confirmatio dictorum, quasi dicat nihil cadet, vel deficiet ab eis, quæ prædiximus.

FINIS.



INDEX NOTABILIVM

Q

R

S

FINIS.



Tabula capitum textus.

FINIS.

IN EXPOSITIONE, ANIMADVERTENDA LECTORI.

Pagina.	Ver.	Erratum	Correctio
12.	18.	folicitum	foli licitum.
15.	15.	parentis	petentis.
17.	8.	& probata	& probata est.
23.	7.	recipiendis	recipiendi.
40.	ultimo.	fumpta eft Dei	fumpta eft ex Dei:
47.	4.	ex	& ex.
80.	30.	conmanda	confideranda
110.	4.	expendam.	explendam.
114.	5.	naturam primam	materiam primam
114.	7.	fluit	fuit
137.	12.	& per.	& non per.
141.	17.	charitate	charitatem.
141.	24.	cum	eum.
145.	7.	fubftinebat	fubftentabatur.
147.	1.	quia pro tali fruftra oratur.	quia pro taliter continuante non fruftra oratur.
147.	3.	non eft mortale.	non eft femper mortale.
147.	4.	& a Deo non fcparās	& a Deo non femper fcparās
162.	20.	ponitur	punitor.

Ex quo, propter multas occupationes, hæc omnia Magistri Gregorij non potui diligenter videre; ita concedo imprimendi licentiam; vt ab aliquo perito Theologo approbentur. Datum Senis, in conuentu nostro sancti Francisci, die 16. octobris. 1572.

F. Franciscus de Monte Flor. Inquisitor manu propria.

Ego fr. Adeodatus Senen. & Augustinensis, cũ R. P. M. Gregorij Senensis Dominicani expositionem super Canonicas epistolas legerim, nihilq; in ea inuenerim, vel cognouerim, quod (meo iudicio) veritati, ac pietati fidei catholicæ aduersetur: censeo dignam, quæ ad manus hominum per impreßionem transmittatur: & approbo.



REGISTRUM.

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Tutti sono fogli, eccetto il Z. che è mezzo foglio.



